~~Elzeviers~~
~~863.~~
235
E 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Nobiliſſ. atque Illuſtriſſ. Viri,

RAB. HERM. SCHELII

Domini Venebruggæ & Welbergii, Iſel-
mudani Salaniæ agri præſidis

DE JURE IMPERII

LIBER POSTHUMUS.

Editus cura

THEOPHILI HOGERSII.

1.
KW 235 E 43



Koninklijke Bibliotheek 's Hage.

AMSTELODAMI,
Apud Danielem Elſevirium,
CIↃ IↃC LXXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Genere, honoribus & meritis præluſtri Viro

ADOLPHO HENRICO

A RAESFELT

Twickeloæ & Lagæ in Tubantibus Domino univerſæque genti Præfecto

THEOPHILUS HOGERSIUS

S. P. D.

ARdua res eſt, Vir illuſtriſſime, ex humili & obſcura conditione poſſe emergere, & ab anguſtis ſordidiſque cunabulis ad altum fortunæ faſtigium eniti.

—*Pauci quos æquus amavit*
Juppiter aut ardens evexit ad æthera virtus

 id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

id potuere. Quicunque enim mediocri ſanguine creti inſignem nobilitatem principes in familiam ſuam introducere cupiunt, magno animo excelſa ſpectare & ad ea rectis ſtudiis contendere debent. non illos majorum exempla incitant, non ardorem injiciunt imagines parentum: non eorundem majorum in patriam præclare facta, non potentia amicorum vel clientium multitudo, non magna abundantia copiarum præſidio adſunt, gratiamve aut amplitudinem conciliant: ſolis tantummodo ſui ingenii viribus ſubnixi, unam ſpem in nuda virtute repoſitam habent. Innumeræ præterea mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ræ & impedimenta repugnant atque obſiſtunt ad majora tendentibus. Hinc tabifico invidia veneno optima illorum facinora inficit & vitiat, commoda autem & honores obliquis oculis limat: hoc agentibus & omni ope annitentibus ſeſe opponit, &, ut aiunt, manibus pedibuſque obnititur; aſcendentes in altiorem reip. locum detrahit, & jam ſummum tenentes gradum ſæpiſſime deturbat. Inde potentiores, metu, ne opes & regnum, quod in civitate poſſident, ſibi eripiant, aut in partem veniant, locum invadendi quærunt, mille inſidias parant & pernitioſas moliuntur fraudes, quò vel à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

generoſo propoſito deterreant, vel pervertant inclytam & promptam virtutem. Arduum hoc autem ſit licet & valde difficile, non minoris tamen operis, majoris certe roboris & conſtantiæ, in ſumma fortuna poſſe conſiſtere, nec rebus ſecundis & ad vota fluentibus in diverſum rapi. Quis non cum illis mores immutat? Quis vero ea animi magnitudine, ut quo altius evectus ſit eo ſe magis deprimat,

— ſummittatque modeſte
Fortunæ vexilla ſuæ?

Quin contra tumidos ſimul & ignavos incedere videmus quamplurimos veteris proſapiæ magnarumque opum homines,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

mines, & alios quidem mortales, tanquam ſecundum genus, deſpicere, ipſos autem officii ſui immemores atque elaboratis à majoribus divitiis & nobilitati incubantes, nullo honeſtarum rerum ſtudio tangi, ſed ventri & corporis gaudiis deditos per luxum & deſidiam ætatem agere. Adeo ut pro portento pæne haberi poſſit, ſi quis ſapiens in ampliſſima fortuna naſcatur. Quanti ergo animi mentiſque divinæ capaciſſimi ſit oportet, qui antiquiſſimæ & opulentiſſimæ, egregiiſque maximarum virtutum exemplis plenæ domui non modo vitiis ſuis nullum dedecus infert, ſed & nobiliſſimis faci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

noribus ſummum gloriæ culmen imponit? Talem virum, ut illum Senecæ ſapientem, quem *primæ notæ* vocat, *tanquam Phœnicem ſemel anno quingenteſimo in lucem edi crediderim.* Extitiſſe autem hoc noſtro tempore, tu, nobiliſſime pariter & maxime Rasfeldi, ſingulare ac admirabile documentum es. Tu enim ortus es iis majoribus, qui & inferiorem & ſuperiorem Germaniam, tum generis ſplendore & fortunarum amplitudine, tum rebus geſtis per multorum ſæculorum memoriam illuſtraverunt. Sive enim ad nobilitatem & divitias, quæ prima mortales ducunt, animum advertamus, hi ab omni ævo

inter nobiliſſimos Germanorum eminuerunt, & nunquam cum aliis quam illuſtriſſimis familiis affinitates conjunxerunt hi honores & dignitates, tam ſacras quam civiles & militares, privilegia & immunitates nullis procerum minores, merum denique & mixtum imperium ſemper obtinuerunt. Opibus autem & divitiis, ſeu numerum & ſpatia prædiorum, ſeu fœnoris copiam, ſeu caſtellorum & arcium ingenio & operibus munitiſſimarum & vicinos late pagos imperio prementium multitudinem ſpectemus, Rasfeldiorum gens nulli ditiſſimarum gentium ceſſit. Sive virtutes conſideremus & for-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tia facta, quorum magnitudine, non ſolis honorum titulis aut coacervatis in immenſum opibus (quæ licet ex illis tanquam perenni fonte manent, & de Rasfeldiis vere dici poſſit, *ſua virtute ac Diis juvantibus magnas ſibi opes magnumque nomen feciſſe*, ſæpe tamen ab indignis hominibus invadi atque uſurpari videmus) decus gentis potiſſimum cenſeri debet, quæ, quæſo, bella intra aliquot ſæculorum ætates geſta, quæ pacificationes & compoſitiones agitatæ, quæ fœdera regum & populorum percuſſa, quibus hi vel ſago vel toga inſignes non interfuerint egregiamque in partibus operam non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

non navaverint? Quantum vero illorum exiſtimatio & auctoritas polluerit, niſi ex omnibus partibus abunde conſtaret, vel ſolum Smalcaldicum fœdus, quo ſuperiore ſæculo potentiſſimi Germaniæ principes reſtitutæ & correctæ religionis aſſerendæ gratia ſe obſtrinxerant, teſtari poſſet. Comites enim Buranos & Teclenburgicos in pactis manſuros ipſi ſpondere & in ſe recipere debuerunt. Quo quid ad famam ſpecioſius, ad dignitatem amplius, ad virtutem glorioſius excogitari poteſt? Tanti nominis principibus cum de re maximi momenti non crederent, Rasfeldiorum ſponſioni fi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

dem tribuerunt. Sed ut aliorum illius familiæ heroum res geſtas tranſeam; quæ, licet iſtis temporibus illi in primis floruerint quibus bene facere quam egregia facinora exquiſita oratione poſteris prodere majoribus noſtris conſilium fuit; poſtea vero, quum inteſtino pariter & externo bello Germania flagraret & quaſi una clade involveretur, in illa horribili omnium rerum perturbatione & optimorum peſſimorumque promiſcua cæde virtutes fortiſſimorum virorum obrutæ & ſepultæ jaceant, tanto tamen numero, tam amplæ magnificæque erui è vetuſtis annalibus, actis, faſtis, diplomatibus & tabu-

lis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

lis publicis, ſtemmatibus, monumentis & inſcriptionibus poſſent, ut non ad epiſtolam implendam, ſed magnam & illuſtrem hiſtoriam condendam ſufficerent: ut, inquam, ea nunc tranſeam, unus parens tuus ſanctiſſimæ memoriæ erit nobis inſtar omnium. Qui maximis honoribus uſus è Præfecto Haxbergiano Vollenhovianus & mox Tubantinus factus (Sallandicam enim præfecturam ultro ſibi delatam magno animo repudiavit) in iis ita ſeſe geſſit, ut ſingularem juſtitiæ, induſtriæ, continentiæ & amoris patrii laudem retulerit. Si enim quis perpendat, qua conditione fuerint hæ gentes, quum illa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

rum regimen ſuſciperet; quam inhumanæ & continuis bellis latrociniiſque quaſi efferatæ, quam truculentæ mutuiſque cædibus gaudentes, quam vaſtæ & diuturnis depopulationibus exinanitæ, quam inopes omnibuſque rebus ad vitam tuendam neceſſariis egentes: quem vero in ſtatum illas reſtituerit, quam mitiores & humaniores reddiderit, quanto ære alieno liberaverit, quot rei familiaris copiis inſtruxerit, facile judicabit, ſine maxima cura & diligentia, æquiſſimis legibus & inſtitutis, ſeveriſſima diſciplina, incorruptiſſima juſtitia, ardentiſſimo in remp. & communem civium utilitatem ſtudio tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tantas res patrare nequaquam potuiſſe. Quanta autem integritate & innocentia fuerit, quam capitalis extorſionum & rapinarum hoſtis, quam ſedulus cuſtos bonorum publicorum, quam acer ærarii propugnator; qui non modo nunquam exquiſiverit ſinus & varia prædandi vocabula, nunquam poſſeſſiones vel ſacro vel publico uſui aſſignatas ſub emphyteuſeos aliove nomine invaſerit, fruges perceperit, arbores cæciderit, verum etiam maximorum & quæſtuoſiſſimorum fundorum reditus deceſſorum commodis ſervire ſolitos reipublicæ donaverit, omnibus qui illorum temporum memoriam animo repetere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tere volunt notiſſimum eſt. Sed hæ in primis virtutes enituerunt, quando Seviris civitatis Salanæ & Senatus Belgici Conſiliariis (ad quos etiam dignitatis primæ magiſtratus provectus eſt) aſſedit. Cum enim penes illos prima vel noſtri vel fœderatarum gentium communis ærarii cura ſit, in utroque munere magna vel abſtinentiæ vel avaritiæ exempla edi neceſſe eſt. Sed ampliſſimus tuus genitor non ipſe modo alienus à quovis habendi ſtudio fuit, & in ſe aliis ad imitandum illuſtre probitatis & ſanctitatis documentum dedit, verum etiam maximo labore & conſtantia publicum cenſum ju-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

vit & auxit: acerbiſſimo autem odio perſecutus eſt omnibuſque modis repreſſit impudentiam aliorum, qui è locationibus operum, immunitatibus, portoriis & vectigalibus, ſtipendiis militum, pactis cum creditoribus aut remiſſionibus debitorum reip. rem facere, colludere cum quæſtoribus & ærariorum præfectis, largitionibus etiam turpiſſimis ineſcari, honores & beneficia non optime meritis ſed plurima afferentibus tribuere, immo pecuniam publicam domum ſuam convertere, in ſumma remp. quæſtui habere conſueverunt. Hoc igitur tu patre, his majoribus genitus es, Vir no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

nobiliſſime, qui tibi *omnia quæ licebat*, ut ille ait, *reliquere, divitias, imagines, præclaram memoriam ſui.* Quæ quum tibi abunde eſſent, nec fortunæ tuæ quicquam adjici poſſe videretur, non tamen ea tanti duxiſti, ut more ſæculi noſtri hiſce contentus vitam ſilentio tranſigeres. Sed ea potius, ut ſunt, conſideraſti, virtutis majorum non tuæ ornamenta: hanc autem ab iis neque dono dari neque relinqui potuiſſe. tibi igitur non aliena arroganda, ſed tanto magis annitendum, ut eam qua ipſi præceſſerant inſiſtens viam paria illis præmia nanciſcereris, neque divitiis & ſumptibus, ut vulgo fieri ſolet, ſed probitate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

atque induſtria cum illis contenderes. Nec egregio & vere generoſo conatui ſucceſſio proſpera defuit. Eo enim, dum urges propoſitum, neque quicquam remiſſe aut negligenter agis, perveniſti, ut & virtutem & famam illorum non modo æquaveris, verum etiam ſuperaveris & longe poſt te reliqueris. A prima enim adoleſcentia acerrimis literarum ſtudiis imbutus, iiſque artibus inſtructus quæ excellenti ingenio & animo ſublimi atque ad ſumma aſpiranti decoræ & neceſſariæ ſunt, quæque, licet diſſimules anxieque nimis occultes, primo occurſu à quovis facile deprehenduntur, mox ſtipendiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

pro patriæ factis clarus & illuſtris ad magiſtratus & rempublicam acceſſiſti: in ea autem adminiſtranda talem te oſtendiſti, ut poſt hominum memoriam ſapientiorem virum, meliorem civem, graviorem ſenatorem, ſanctiorem & æquiorem judicem Salia nunquam viderit, nec

Ullo ſe tantum tellus jactarit alumno.

Poteſtates (quibus licet ampliſſimis auctus ſis, amplioribus tamen ſemper dignus es habitus) ita geſſiſti, ut innocentiæ, vigilantiæ, fortitudinis, conſtantiæ exemplum à natura in publico conſtitutus & ante omnium oculos propoſitus eſſe videaris. Quo, quæſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quæſo, tempore ſummum reip. noſtræ conſilium tanto ſtudio & ſolertia noxas & vitia, quæ à multis annis obrepſerant & jam conſuetudine non tantum pro nihilo, verum etiam pro virtutibus habebantur, indagavit & deprehendit, tanta ſeveritate & juſtitia coërcuit & refrenavit, quam illo quo tu illi conſiliario ſenatui affuiſti? Tum ærarii expilatores & hirudines (multis licet magni nominis & auctoritatis graviſſimæ patronis, in quorum odium abſque dubio incurrendum erat, protecti & defenſi eſſent) in ordinem redacti & puniti prædaque è manibus illorum extorta eſt; nomina, quæ in ca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ligine & tenebris latebant & propemodum vetuſtate exſtincta erant in lucem prolata & renovata ſunt, uſuræ autem quas reſp. pendebat è quincuncibus trientes factæ, opecuncibus trientes factæ, operum & munitionum mercedes multis partibus imminutæ; in tantum denique tam in circumcidendis expenſis quã in commodis augendis communi proviſum, ut quamvis tum cum maxime ſumptuoſiſſimo contra Britannos bello exhauriretur, non modo ingentem debitæ pecuniæ ſummam in ſingulas ſociatas gentes diſtributam ſuſceperit, verum etiam maxima vi æris alieni ſeſe liberaverit, adeoqu fidem ſuam, quæ non parum

labefactata erat, ſtabiliverit, ut ſyngraphæ, per quas illi creditum erat, viliori pretio ante comparari ſolitæ multo carius vendi potuerint. Quod ſi ego hîc innocentiam tuam & animum largitionibus alienum non in hoc tantum magiſtratu, ſed in omnibus quos geſſiſti manifeſtum & per univerſum Belgium conſtanti fama atque omnium ſermone celebratum oratione extollere vellem, næ ego nihil adjicerem laudibus tuis ſed illas potius imminuerem atque detererem.

— fuerint aliis hæc forte decora,
Nulla poteſt laus eſſe tibi quæ crimina purget.

Quoties percepta eſt illa vox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tua pro republica honeſta, tibi glorioſa & pulchra: officiis & muneribus præpoſitis non modo cum inirent verum etiam cum deponerent magiſtratum integritatis ſacramentum dicendum eſſe? Quoties te audivimus ſanctiſſimo jurejurando affirmantem, nullo unquam ex honoribus quæſtu aut lucro, præter præmia quæ ſuis adminiſtratoribus ipſa reſpublica tribuere ſolet, quo demum nomine appellari poſſint quove ſub titulo fieri, locupletatum eſſe: imo ſi quis vel nummum ſeſtertium ſive à publico ſive à privatis hominibus, ſive ſuſcepta in commune ſacra ſive vetita colentibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quamcunque ob cauſam, quocunque colore contra leges te abſtuliſſe redarguere poſſit, tibi placere, omnia tua bona in fiſcum redigi aut pauperibus dono dari. Quæ quæſo unde niſi ab eo qui pectus adverſus cupiditates invictum, manus abſtinentes & ſordibus puras, oculos fulgore auri non præſtrictos habet, provenire poſſint? In procuratione civitatis noſtræ non minus ſanctum & ſeverum fiſci publici (in quo etiam illa, ut diximus, præcipue verſatur) cuſtodem & vindicem te præſtitiſti, commoda ſimiliter auxiſti, uſuras minuiſti, erogationes pecuniarum ſuperfluas, quæ ærarium exhau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

riebant, amputaſti; leges, edicta, ſanctiones quibus hominum improbitas comprimeretur, & patrimonium publicum facultatibus multiplicaretur, compoſuiſti. quin illo tempore, quo tu Salano ærario præfuiſti, hoc eſt ſpatio quadriennii non modo debita quæ magna & gravia tam inteſtinis diſſidiis, quam externis bellis contracta erant, ſoluta, verum etiam ad quadragies H S. reliquo fœnori detractum eſt. Præfecturam Tubantum quanta ſollicitudine, vigilantia, moderatione, clementia, æquitate adminiſtres, parentes uno omnes ore laudant & celebrant. frontem vero in tanto faſtigio privatam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

vatam, faciles & molles aditus, ſolatia & auxilia miſerorum & laborantium, tutelam & patrocinium eorum qui vel iniquitate & potentia inimicorum, vel injuria & avaritia magiſtratuum opprimuntur, patientiam in querimoniis coram audiendis & examinandis, ſagacitatem & prudentiam ad calumnias litium & legum ac judiciorum laqueos detegendos & dirumpendos, indefeſſum denique bonos juvandi, improbos coërcendi, proque omnium re & ſalute excubandi ſtudium in cælum extollunt. Hiſce maximis virtutibus apicem impoſuiſti ſummum ſinceræ religionis amorem ſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

mul & ſingularem diſciplinam: Ut de te veriſſime prædicare poſſimus, quod de Tireſia apud inferos Homerus, *unum te ſapere, cæteros umbrarum inſtar vagari.* Neque enim cæci more vulgi ſacra & cæremonias velut hæreditatem à parentibus relictam adiiſti, aut cum lacte nutricis imbibiſti, aut denique ad eas impetu magis quam conſilio latus es: ſed improba prius diligentia, incomparabili mentis acumine & admiranda ingenii vi expenſis & ponderatis tantarum rerum myſteriis, quas cum divinæ, quæ in nobis reſtat, auræ particula & germana ſacroſancti libri ſententia conſentire explora-
te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

te percepiſti & cognoviſti, amplexus es; illaſque, non quidem mentita facie & compoſito ad ſanctimoniam vultu (quemadmodum ſolent qui divinarum rerum ſcientiam ut artificium venale exercent, aut calumnia religionis nefaria ſcelera & flagitia occultant, piique videri quam eſſe malunt,) ſed vera pietate, quæ in honeſta de Numine opinione & recta voluntate venerantium conſiſtit, & ſanctis caſtiſque moribus quos omnibus, quorum non in Sole, ut dicitur, caligat animus, facile approbas, illuſtraſti. Tot autem novis tantique momenti rationibus eaſdem confirmandi & ſuffulciendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

facultate polles, ut cuncti, te audiunt de divinis diſputantem (experto crede) incredibili admiratione obſtupeſcant, quicunque autem cor habent, in tuam ſententiam pedibus eant. Quas quidem rationes & argumenta ſi patieris unquam lucem adſpicere (& pati fas eſt, ſi te quam tuorum civium ſubjectorumque ſalutis caducæ, de qua tantopere laboras, tam, quod infinite majus, totius generis humani æternæ cura tangit,) næ optime de Chriſtianis ſacris atque inſtaurata religione merito, quas homines nequeunt, Deus Opt. Max.

Perſolvet grates dignas & præmia reddet

De-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Debita. ———

Sed ſicut non in tranquillitate aut undarum otio, verum

— *mari magno, turbantibus æquora ventis*,

gubernator intelligitur: iſque demum magni æſtimatur, non qui deprenſæ navis gubernaculum ſtatim abjicit illamque Diis & votis relinquit, multo minus qui negligentia vel inſcitia evertit; ſed qui fortiter clavum tenens, quantum vis procellæ permittit, contra obnititur, atque ultro ſocios increpans hos ſubducere remos, alios latera munire aut ſentinam exhaurire jubet; tum, prout cæli ſalique ratio poſtulat, nunc contrahi vela, nunc pandi,

nunc ſiniſtrum nunc dextrum pedem proferri, nunc antennam ſubmitti, nunc in altiori arboris loco religari imperat: ipſe intentis omnia oculis perluſtrans nihil remittit aut quicquam otioſum patitur, uſque donec optatum navis portum potita ſit. ita quum noſtræ civitatis carina bellorum & diſcordiarum ventis agitatur & concutitur, tua in primis ars & virtus eniteſcit: tum apparet, te non, ut multi, ad hanc tanquam auream meſſem advolaſſe nihilque attuliſſe præter malam mentem, ſed unius patriæ amore illam communem ratem conſcendiſſe, illius autem habenas neminem majori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ri cum prudentia & conſtantia unquam moderatum fuiſſe. Ne de militaribus tuis curis & conſiliis, quæ in omnibus patriæ diſcriminibus, ſed vel maxime nuperrimo Monaſterienſi bello (quum duces & præpoſiti te potiſſimum elegiſſent & magna ambitione obtinuiſſent ut illis adverſus hoſtem proficiſcentibus in conſilium adeſſes) excelluerunt, jam dicam: quando ſumma reipublicæ noſtræ inteſtinis diſſidiis laborat, & propemodum labefactata atque convulſa videtur, quando devictæ leges & tremefacta libertas, tu non modo alios officii ſui commones, ſed ipſe potiſſimum exemplo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

præis, maximis diſſidiorum turbinibus & fluctibus illam jactantibus omni ope & ſtudio erigis & recreas, nihilque tibi reliquum facis, quod ad iſtam in veterem libertatem & dignitatem aſſerendam ſalvamque velut in portu collocandam pertineat. Quis, quæſo, ignorat, tua, Vir illuſtriſſime, & paucorum aliorum tui ſimilium heroum fortitudine diſcuſſam illam turpem & pernitioſam ante ſedecim annos initam factionem? quum quidam homines perverſa libidine incitati, ductis ſortibus honores & dignitates inter ſe, præteritis non modo longe dignioribus viris, verum etiam excluſis to-

tis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tis & primis à republica membris, partiti ſunt: utque improborum compotes votorum eſſent, pejora auſi, leges temerare, juratas civitatum pactiones reſcindere, ſacramento ſe obſtringere in fraudem reip. bellum civile movere; immo everſis fundamentis & ſummo civium jure, proculcataque libertate, illis invitis, & repugnantibus atque adverſantibus legitimis poteſtatibus alium moderatorem imponere conati ſunt. Sed hæc & alia tum temporis contra rempublicam acta

— *animus meminiſſe horret*
luctuque refugit.

Atque utinam mandari æternæ oblivioni, ne qua ad po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſteros notitia perveniret, potuiſſent! Sed illi ipſi ejuſdemve notæ homines, quando hiſce diebus novorum iterum & majorum facinorum auctores extiterunt, ſuperiorum temporum dolorem renovare, crudumque adhuc vulnus nos refricare coëgerunt. Amneſtia enim & abolitione diſſenſionum atque injuriarum, olim quidem à Thraſybulo Athenis optimo exemplo introducta, & Romæ à M. Tullio revocata, poſt has diſcordias etiam in civitate noſtra, neſcio an publico tantopere bono, conſtituta; legibus autem quibus in poſterum munitior eſſet libertas & ſimilibus conatibus obviam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

viam iretur (quas refigere nefas eſſet) ſancitis, adeo ſe non continuerunt illi qui prioribus diſſidiis facem prætulerant, ut denuo neglectis legibus, quibus jurejurando adſtricti erant, vilipenſa autoritate publica, majeſtate ſummi imperii violata, diviſo, quantum in ipſis fuit, corpore reip. ſacris denique & profanis omnibus pollutis, in altiſſimam confuſionum & perturbationum voraginem patriam conjecerint. Neque ego tantum illos accuſo, qui dignas forſitan noxis pœnas metuentes, adeoque ſalutis ſuæ cauſa omnia miſcere, quam quæſtionem & judicium de actionibus ſuis ſubi-

re maluerunt : ſed inventos eſſe non modo cives, verum etiam rectores & gubernatores reip. qui reos protegendo & illorum cauſam ſuſcipiendo, proque ea ut ſua pertinaciſſime propugnando hoc diſſidium inextricabile, &, ut apparet, immortale facere voluerunt, id mihi prorſus deteſtandum & deplorandum videtur. Quæ (malum) vos animi dementia cepit? Adeone patriæ ſalus, libertas & leges vobis parum curæ cordique ſunt, ut paucos homines judicio eripiendi gratia, iſtæc omnia vilia habere & pedibus profanis ſubjicere non dubitetis? Nulla enim profecto alia cauſa eſt, quare in his

pu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

dendis diſcordiis & moleſtis contentionibus tam diu hæreamus, quam quia per vos non licet reip. dignitati & utilitati, ut decet, conſulere, punitiſque his qui illam læſerunt & depeculati ſunt, rite & bono more concordiam & conſenſum ordinum reconciliare. Niſi enim publica res ſalva ſit, & communi proſpectum, fruſtra quis pacem & concordiam mihi commendet. Pyratarum & latronum iſta concordia eſt: verum, ut recte quicunque dixit, *non concordia ſed conſpiratio*. Si hanc pacem intelligitis, tum maxima turbamenta reip. oppreſſiones optimorum virorum, egregie cordatorum magiſtra-

giſtratuum à gubernaculis civitatum remotiones, corruptelas juratorum civium & lectorum ſenatus, majeſtatis & perduellionis crimina probate, eaque omnia pacis nomine impunita perferte. Sed mihi omnibuſque bonis potius ſemper viſum eſt honeſtum bellum ignominioſa pace & periculoſa libertas ſervitio quieto. Quemadmodum autem is, qui veram hominis conſtitutionem noſſe cupit, non externam frontem, quæ plerumq; mentitur, aſpicere, ſed interiora contemplari & perluſtrare debet. Sæpe enim ſub nitida & bene curata cute lethalis morborum in viſceribus & præcordiis dominan-

tium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tium turba latet; & ſecuram felicitatem vultu ſimulat, cujus animus tormentis & laniatibus excruciatur & dilaceratur: vulnus ſuppuratum pulchram aliquando cicatricem oſtentat. Sic civitates & reſpublicæ exteriori ſæpe forma incorruptam ſanitatem præ ſe ferunt, quum mille vitiis ſcateant, avaritiaque & ambitione intus dilanientur & diſtrahantur. Hæc mihi prius tollas, his remp. exoneres & purges oportet, inque illorum locum ſanctitatem atque religionem reponas: tum verus conſenſus & unitas (quæ ſine virtute nunquam conſiſtunt) tum illa rerum pulcherrima pax è cælo in has ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

terras quaſi poſtliminio reducta iterumque in ſuo ſolio collocata gratiſſimo ſplendore omnia illuminabit ſuavemque odorem & publicis & privatis rebus adſperget. Sed utinam hi qui otium & tranquillitatem ſemper in ore habent ea non prætenderent propriis affectibus, nec ſpecioſis his nominibus ſuæ quiſque cupiditati ſervirent. Alia cauſa eſt, fateor, virorum virtutibus clarorum & inſignium, quorum ſilentio ignoſcere poſſumus, quia multitudine & opibus aliorum ſuperati atque obſeſſi, liberam vocem emittere non audent. Cæterorum vero pleroſque non optimis, vereor,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

rationibus perſuaſos, vel deeſſe reip. vel, quod pejus, turpiſſimæ cauſæ ſubſcripſiſſe. Alios quidem cæco dominandi amore in præceps agi: qui patriæ ſalutem ambitioni donantes nihil non in illam admitti patiuntur unde ſuis rebus incrementum ſperent: invidia vero & malevolentia erga excellentes viros, quibus nec animo nec ingenio pares ſunt, concitati, illorumque virtutem æque ac fortunam ægris oculis intuentes, quæcunque hi vel prudentiſſima ac fideliſſima reip. conſilia dant, detrectant, obloquuntur & oppugnant. Miſerrimi mortales, qui quum bonis artibus ad honores &

gloriam pervenire non poſſint, furtim & per latrocinia nituntur. Alios cujuſvis lucri aut commodi odore capi, & ſimulac doloſi ſpes refulſerit nummi, illico remittere & prodere etiam ea quæ ſumma reſp. flagitat. Quam vellem non reperiri, qui quum in principio diſſenſionum, alta voce claſſicum canentes, & ultima pene reis ſupplicia decernentes, alioſque ad paria conſilia ſingulari ſtudio exhortantes, eodem bonis ſi non majori ardore ad communem reip. cauſam inflammati crederentur, ea omnia fecerint, ut re in illum locum deducta, unde nemo bonus tecto latere aut ſalva exiſtimatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

matione pedem referre poteſt, utque aut vincendum ſit, aut in ſervitutem omnium deterrimam recidendum, ubi ſe & ſuffragia ſua in pretio eſſe conſpexiſſent, vel illa adverſariis carius venderent, vel ſimulatione moderationis utrique parti ſeſe venditarent. Qui quidem bis in patriam mihi peccaſſe videntur; ſemel quod improbo illam animo in tantas neceſſitates adduxerint, iterum quod eandem omneſque ejus ſtudioſos in medio certamine turpiter deſeruerint. Sunt etiam degeneri ſpiritu & abjectis animis rectores, qui in magnis titulis & nominibus ſtupent, nec oculos contra at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tollere audent, quumque principibus viris placere, illorumque voluntatem quavis aſſentatione & pravis obſequiis captare in maxima laude ponant; potentiæ illorum decus atque libertatem tam ſuam quam patriæ gratificantur. Sunt qui cognatorum & affinium incolumitatem reipublicæ præponentes, hanc perire, quam illos per faſque nefaſque ſalvos non conſervare malunt. Sed peſſimi omnium, qui verentes ut contagio juſtitiæ ſe quoque trahat & alterius pœnæ acceſſio fiant, omnem lapidem movent, cœlum terramque miſcent, ne illorum, quorum amicitiæ palmam tenent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quaque veluti clypeo freti remp. hactenus impune & ſuo jure egerunt atque tulerunt, auctoritate imminuta, ſua quoque refrenetur licentia, & juſtas tandem debitaſque pœnas læſæ patriæ perſolvant. Hi igitur omnes ſpecie concordiæ, quam non publica utilitate, ut diximus, ſed privatis ſtudiis metiuntur, turbant rempublicam: & quandoquidem omni ope atque opera enituntur, ut in judicium vocati quovis modo evadant, cum illa tranſigere, illi conditiones ſtatuere, & tanquam in macello obſonia comparaturi contra illius ſalutem & gloriam liceri non erubeſcunt. Quanto hone-
ſtius
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſtius & conſtantius illi ſanctiſſimi & fortiſſimi Romanorum, P. Scipio, (cui Africani cognomen ex virtute fuit) qui cenſuit, *nihil de jure patriæ decidi poſſe*, & M. Cato (at quantus vir!) *qui negavit ullam de rep. faciendam pactionem: & moriendum ante quam ullam conditionem civis accipiendam reipublicæ contendit*. Venite jam vos moderati & pacifici, ſi Diis placet, ſenatores, & voſmet ipſi veſtraſque ſententias expendite, hoc eſt, iſtis heroibus veſtram humilitatem, iſtis nominibus veſtram obſcuritatem opponite, veſtraſque ineptias illorum auctoritatibus componite, & facile apparebit, hæc

omnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

omnia tantum inter ſe diſtare quantum.

— *lumen tenebris & ſidera terris.*

Sed liberius ulteriuſque proceſſi, dum me morum actionumque multorum hominum piget tædetque. Porrò linquamus has civitatis noſtræ maculas & dedecora, ac ad te revertamur, vir illuſtriſſime, &, quo titulo jam olim ſed hoc tempore in primis, ſi unquam alius, cenſeri debes, patriæ pater. Sicut enim hæc ſemper animo tuo ſententia ſedit, ejus ſalutem ſupremam legem, primam curam, ſolum, quo cuncta referri debeant, finem habere, ita hodie potiſſimum tuum hoc opus tuuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

que labor eſt, iſtam tanta vi quanta nunquam à malis civibus obſeſſam, oppugnatam & labefactatam tueri atque defendere. utque huic opem feras laboranti nihil omnino tolerare recuſas; nullas vigilias, ſollicitudines, moleſtias abnuis, nullis ſumptibus & impenſis parcis, maximas pro illa inimicitias lubentiſſime ſuſcipis, cæli injurias & alia itinerum incommoda æquo animo pateris: valetudinis denique jacturam facere & ipſius vitæ diſcrimen adire non gravaris, dummodo opes impotentium hominum dominatione pellas & è rapaciſſimis unguibus eripias ſpoliatam egentemque rempubli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

publicam. At bene habet, magnam jam partem profligaſti. Namque ab illo tempore quo tu concilio Ordinum Salaniæ præſediſti, & bonis viris reſpirare, & quaſi è fluctibus ſervitutis (quam nemo recuſare auſus fuerat) emergere licuit: non modo omnibus flagitiis & ſceleribus æternũ & inexpiabile bellum indictum, verum etiam intra paucos annos innumera mala, quæ peſtilentiæ inſtar per omnes civitatis partes ſerpebant illamque tantum non totam occuparant, ſublata ſunt. Sed ante omnia mille fraudes & fallaciæ, quibus pecuniæ publicæ, nervi & artus civitatum, avertebantur, tua pluſquam Herculea auda-

cia, induſtria admirabili, ingenio divino (cui quidem ad quæcunque ſeſe applicat

Non viget quicquam ſimile aut ſecundum,

ſed ad ærarias rationes conficiendas falſaſque à veris diſcernendas incredibile quantum apto & quaſi nato) detectæ & repreſſæ, totque præclaris & ſalutaribus remediis arcæ communi ſubventum, ut illo non longo ſpatio octogies ſeſtertium publico adjectum ſit, & ſpe non modo pulcherrima verum etiam certiſſima nos foveas, ſi pari animo & ſtudio in illius commoda deinceps incumbamus, intra decennium civitatem noſtram omni ære alieno (quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

pene oppreſſa eſt, & niſi tu deſertæ ac deſperatæ tanquam de cælo lapſus ſubito affuiſſes & ſuccurriſſes, penitus demerſa jaceret) levatam atque liberatam fore. Eant nunc & tantis clamoribus malorum hominum ſeceſſioni (qua ſe, non ſine utilitate reip. contra quam ſemper repugnare conſueverant, à bonis ſecreverunt) infamem & pernitioſam pactionem præferant, & illorum reſtitutionem tanto molimine à rep. extorqueant, in quorum manus ubi iterum inciderit, præſentem ruinam & ſupremum exitium effugere nequaquam poterit. Longe enim alia mens illis, qui du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ro civitatem noſtram jugo preſſam ante tenuerunt, qui ex ſpoliis noſtris arcem habentes & omnia retinendæ dominationis honeſta exiſtimantes nihil penſi neque moderati habuerunt, facti ad ea quæ majores noſtri virtute pepererunt ſubvertunda, patriam, leges, libertatem; qui in egregios & promptos cives inveteratum & capitale odium habentes, omnes illis aditus ad ornamenta dignitatis obſtruere, alios, quanto quis ſervitio paratior, opibus aut honoribus extollere ſoliti, quum ipſi ampliſſimos quoſque magiſtratus ut prædam invaſiſſent, immenſoſque ex iis pecuniarum acer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

vos accumulaſſent. Quibus ſubnixi nihil ſibi ab aliis metuendum putaverunt: ſeu ſupra leges & judicia ſe ſurrexiſſe æſtimantes; illa aranearum telas eſſe, imbecillos alligare, potentes non tenere: ſeu cum Verre cenſentes, *iis eſſe timendum, qui quod ipſis ſolis ſatis eſſet diripuiſſent, ſe tantum rapuiſſe, ut id multis ſatis eſſe poſſit; nihil eſſe tam ſanctum quod non violari, nihil tam munitum quod non expugnari pecunia poſſit.* Sed Dii melius, quod nobis dedere viros quorum vivida vis animi &

— *incoctum generoſo pectus honeſto*

nulla gratia aut metu permoveri, nullis donis & muneri-

 bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

bus corrumpi, nullo inani ſplendore capi poteſt; qui libertatem à majoribus traditam cum periculo experiri non dubitant, proque ea vel certaminis adverſa ſubire, quam omnino non certare malunt: immo qui perpetua & conſtanti in remp. voluntate maximis non ſemel opibus ſeſe opponere & importunam dominationem oppugnare auſi ſunt. Inter hos, ut diximus, tu, vir maxime, familiam ducis. Nuperquidem in illo nobili pulvere commilitonem habuiſti te ſolo dignum, nullo vero modo cum aliis comparandum, illuſtrem illum Rabodum Hermannum Schelium, de cujus innume-

numeris & divinis virtutibus ſilere præſtat quam modica & pauca dicere. Sed is generoſiſſima pariter ſtirpe oriundus, optimis non ſecus ac tu artibus, in quibus omnem ætatem egit, excultus & expolitus, ſimili tam pectoris ſanctitate quam ingenii magnitudine ſuccinctus, eodemque animi ad patriæ ſalutem ardore actus, pari pietate & fortitudine nimiam, quæ in civitate dominabatur, potentiam tecum repreſſit, vitia coërcuit, mores emendavit, optimiſque legibus rempublicam ex integro condidit. O utinam hoc nobiliſſimum virorum par ſuperaret, quam nunc patria ſibi placeret, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tantis columnis ſuffulta malorum civium conatus ſecura deſpiceret, aut à cervicibus ſuis provida averteret. Neque enim fortunatior olim Græcia fuit, quando Hercules & Theſeus, illi

Magnanimi heroës nati melioribus annis,

ad tyrannos & monſtra virtute domanda & è medio tollenda mutuam ſibi operam præbuerunt, quam fuiſſet Salania noſtra, ſi Rasfeldio & Schelio contigiſſet, ut communibus animis & ſtudiis homines ſicut opibus tyrannis minores ita impotentia pares coërcere, & vitia fœda illa reipublicæ monſtra ac portenta comprimere aut in ultimas ter-

terras exportare potuiſſent. Sed

— nimium vobis Salana propago
Viſa potens, ſuperi, propria hæc ſi dona fuiſſent.

Vix enim hæc gemina ſidera tam benigna & ſalutaria regionibus noſtris affulgere cœperant, quum unum ſtatim illorum extinctum eſt. In ipſo ſcilicet ætatis atque honorum flore conſumptus Schelius, & non ſecus ac alter reipublicæ oculus erutus & effoſſus hanc quidem luſcam & debilem reddidit, tibique pulcherrimi laboris fideliſſimum ſocium & conſortem abſtulit, nobis autem boniſque omnibus civibus &
vir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

virtutis & ſapientiæ ſuæ maximum triſtiſſimumque deſiderium reliquit. Quod tamen ut tolerabilius ferre poſſimus ipſe effecit, quando præclaræ voluntatis atque inſtituti ſui egregia & ampliſſima monumenta in literis condidit, iiſque ſempiternam memoriam nominis ſui conſecravit. In illis autem in primis quantus tyrannidis hoſtis, quam acer legum vindex fuerit perſpicue & manifeſte apparet. Sicut enim in priori, quem edidimus de publica libertate cura, cæteris civitatum generibus longe prætulerat, in qua non in unum ſumma poteſtas collata ſed omnibus civibus jus

æquatum eſt: ita in hoc, quod nunc divulgamus, opere cunctis rerumpublicarum adminiſtrationibus, ſive unus ſive plures ad ſummam rem adhibiti ſint, non homines ſed leges ſupremo cum imperio præfecit; illaſque etiam in regno ſuam habere vim, ſuum tenere regnum, ſi bene nobiſcum agi velimus, debere, firmiſſimis & invictis rationibus confirmavit. Non hic ego præconium hujus ſcripti, menſura quidem exigui ſed doctrina & ſcientia maximi, inſtituam, cum illud tibi omnibuſque quibus acetum in pectore eſt per ſe ſatis placiturum eſſe certo ſciam, merx autem vendibilis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

lis, ut eſt in proverbio, non egeat alterius commendatione. Sed cum hoc in lucem proferre conſtituiſſem, & mihi neceſſario quærendus eſſet, cujus illud tutelæ commendarem (nam ipſe ſi viveret auctor, non alieno patrocinio opus haberet, quum auctoritatis & exiſtimationis ſuæ præſidio ſatis munitum atque ſeptum fuiſſet) nunc illo morte deleto, quum alium requireret tutorem, neminem præter te, vir illuſtriſſime, reſpicere, ad neminem quam te confugere debui. Neque id ſolum propter eximiam morum & ingeniorum ſimilitudinem, quibus tu & parens ejus mul-
tis
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tis annis pariter in civitate noſtra floruiſtis; ſed vel potiſſimum, quia nullum gravius aut celebrius nomen his in regionibus

— *Salîque ſub ætheris axe*

inveniri poteſt, ſub cujus umbra latens ab adverſariorum & obtrectatorum injuriis tutius eſſet. Tu vero, vir maxime, tolle hunc fœtum patre orbum, illiuſque vicem fungere, ſinu complexuque recipe, in gremio fove, contraque rabiem & furorem inimicorum defende & protege. Ita ſe non parente privatum dolebit, ſed alium neque dignitate neque caritate inferiorem accepiſſe, & adoptivi non minus ac naturalis patris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

beneficio tectum & ſacroſanctum fuiſſe gloriabitur. Deum Opt. Max. ardentiſſimis votis & ſuppliciis veneror, ut te, vir incomparabilis, columen & decus reipublicæ noſtræ, illius bono diu cuſtodiat ſalvumque & incolumem conſervet.

R.H.S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

R. H. S.

QVanquam ita cum rebus humanis comparatum & conſtitutum eaque eſt ratio imperitandi, ut res quidem privatorum jure & legibus diſceptentur, illa autem quæ ad majeſtatem, quæ ad ſummam rempublicam, quæ ad ſtatum civitatum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

pertinent, armorum plerumque vi & bellorum fortuna decidantur; & ſi morem hominum ſpectes, in ſumma fortuna id demum juſtum eſſe videatur, quod eſt validiſſimum & potentiſſimum: plane quaſi civibus menſura juris ſit, quod vult princeps, principi quantum poteſt. tamen tam rem ex vero & ſua natura potius quam depravata dominantium conſuetudine æſtimantibus dubium eſſe non

poteſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

poteſt, quin illud quod in rebus humanis ſummum & maximum eſt, juſtiſſimum quoque eſſe debeat & ſanctiſſimum. quando indignum eſt in hominem divinum animal aliud quippiam imperium habere niſi id quod à Deo eſt profectum; & ſicut in ſingulari homine bona mens & recta ratio, ita in civitatis corpore jus, ratio, lex, conſilium haud dubie rerum potiri debeat: quo ne impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

rium ſummum, res inter homines pulcherrima & Dei ſimillima, illi parti, quæ in nobis ferina & bruta eſt, ſed illi quæ veri & vivi Dei imaginem exhibet tota tranſcribatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

RAB. HERM. SCHELII

DE

JURE IMPERII

LIBER.

HOc noſtro tempore, poſtquam Carolum regem Britanniæ capitis condemnatum ſummo ſupplicio Angli mactaverunt, commotum *eſt vehementius*, *quod ab omni ævo*, *denique patrum noſtrorum memoria*, *hominum ingenia exercuit*, JUS REGIUM, magnis hinc inde, ut nunc adſolet, clamoribus: dum ut in acie milites, de victoria non de cauſa ſolliciti, quodcunque telum ira & pugnandi libido miniſtraverunt, pro ſe quiſque raptum, in hoſtem ejaculantur; ſic hi non tam rationibus & argumentis, quam dignis & indignis dictu maledictis & plauſtris conviciorum diſceptaverunt. Prior quidem prodiit in Ba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tavis horribilis & ſacer liber, honeſta præſcriptione *Regiæ Defenſionis* : ſed qui impotentiſſima quæque & infanda tyrannorum facinora, & quod etiam barbari, nati & ſueti ſervituti, perhorreſcant dicere, regii juris eſſe ſtatuens, jus regium ad unam regnantis libidinem revocat. plane quaſi evertere & tollere non jam populi, ſed hominum jura, id ſit tueri regum ſacroſanctam vim & majeſtatem; aut Carolus defendi nequeat, niſi omnia regna in ſuperbam & impotentem dominationem convertantur. Deinde fuit, qui nimis quoque licentioſe reſponderet, raperet etiam bona in crimen, & in omnibus ab adverſario diſſentiret, præter ſtudium conviciandi. At profecto

— Non defenſoribus iſtis
Tempus eget.

Plus nimio doctorum & patronorum invenerunt fœdiſſima facinora, arcana, quæ iſti vocant, imperii : plus nimio

nimio impotentiæ præcepta ſeculum hoc infecerunt. corrupta enim & privatorum ambitio: quando quæ à perverſæ prudentiæ magiſtris principibus tradita, cives arripuerunt, magnique ſibi & præclari & regum ſimiles viſi ſunt regiis flagitiis. Nam iſti, quamvis diſſimulent quid agatur, nec quæ impune regibus ſuis concedunt, ſuadere videri velint; vere tamen rem ponderanti, cum injuſtitiæ juris indant nomen, legum interitum & everſionem vicem legum habeant, & infamia omnia ſanciant ſcelera, id operam dare, ut quod diſſuadent perſuadeant, non obſcurum & occultum eſt. Habent profecto de civium omnium capite comitia, inſultant publicæ libertati, & omnes qui regum imperia ferunt ſpoliatos naturali omni libertate omnique jure, in deformem & abjectam ſervitutem addicunt. Quæ ſi ſubjectis regnis impotentibus ferre neceſſe, aut in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

expertis tyrannidis malis diſſimulare licet: at nobis Batavis, poſt exhauſtam fatigatamque tyrannidis immanitatem & libidinem omnem, poſt dejectum publicis cervicibus Hiſpanum, & libertatem in rempublicam conſtitutam, id non licet. Concutitur enim & labefactatur præclarum illud & illuſtre fundamentum, ſuper quo majores noſtri, viri, quam qui unquam, ſanctiſſimi, quorum nos veſtigia adoramus, exſtruxêre tot digna ſempiterna hominum memoria & famæ æternitate facinora, cum patriam à ſervitio abſtraxerunt ſuam. Detrectatur laudi Belgici populi, & ipſa majeſtas pulcherrimæ reipublicæ minuitur, niſi illud conſtans ſit, eſſe ſua & populo jura, nec minus ſancta, quam quæ regum; ac ubi leges ſacratæ, ubi patriæ libertas & divina religio conteruntur, lædi abjecta & degeneri patientia, quam patriæ debent cives boni, pietatem; nec ſatis dignum forti

forti viro crimen eſſe, quam tyranni fidem appellant. Abſit enim ut quiſquam putet, majores noſtros licentius quam juſte in ſuperbam dominationem iviſſe; aut rempublicam nunc demum ſui juris & mancipii eſſe, ex quo ipſi hoſtes id confeſſi ſunt, & compoſito bello præbita nobis quies eſt. Nos illos non minus ſancte, majoribus etiam & clarioribus animis arma contra regem Hiſpaniarum ſumſiſſe, quam ipſi poſuerimus; nos non niſi cauſæ & virtuti illorum poſt Deum, publicam libertatem juraque integra & inviolata & plus quam vitam noſtram debere libenter conteſtamur, meritoque ſemper agnoſcemus. Itaque in primis Belgæ & liberi hominis eſſe exiſtimavi, defendendo populi jure famam & exiſtimationem patrum (ne qua illis, per aliam cauſam, labes adſpergatur) pro virili parte vindicare, & ſic quoque oſtendere, neque unquam fidem, illam

propriam Belgarum laudem, illam perennem conteſtatamque virtutem projectam; nec quicquam antea temporibus noſtris partiumque ſtudio datum eſſe: ſed plane nos de imperio & jure populorum idem liberos ſentire, & ſenſiſſe antea, cum in poteſtate & ditione aliena eſſemus. Quanquam non unius populi nationiſque, generis humani eſt iſta cauſa, ut ne regna & legitima imperia cum nefaria dominatione, nec populi libertas cum effreni & furioſa licentia confundantur: ex quo rerumpublicarum omnium peſtis plerumque & pernicies oritur & magno malo toties exorta eſt & miſeros homines afflixit. Eſt enim hoc peſtilens ubique terrarum, & perniciosum, & perinde anceps, ſi regibus omnia tribuas ac ſi populo. Itaque quo hæc ex dignitate tractare poſſimus, ponemus interim non tantum odium omne, ſed etiam illum juſtum patriæ amorem, ſi qua ille flectere à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

vero animum poſſe videatur; noſque non unius civitatis ſed orbis terrarum & reipublicæ humanæ cives & veritati quam ullæ rei obſtrictos eſſe meminerimus. Ab iſtis noſtris ſcriptoribus illud magnopere petitum velimus, quando contra illos multa ſæpe erunt dicenda, ne exigant à nobis, ut turpiſſimum conviciorum & maledictorum certamen ſecum certemus. Cedimus hac ultro laude & iſtos invictos fatemur. nam incuſare quidem intemperantiæ in verbis quî auſimus, cum in rebus & ſententiis tam vehementes, tam importuni & immoderati ſint? Et habent ſane queis ſe tueantur malam cauſam & pejorem conſuetudinem. Sicuti enim ſerentes ocymum quo felicius proveniat jacere quidam maledicta feruntur: ſic qui iſtas rerumpublicarum peſtes & hæreſes diſſeminant, niſi è triviis & ſcurrarum comitiis arrepta maledicta in adverſarium congerant, cau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſam ſuam prodere ſibi videntur. Jam hoc illud eſt, quo vivimus, ſeculum, ut etiam qui magna nomina habentut colligere maledicis ſcriptis famam, & collectam maledictis tutari gaudeant: adeo ut non tantum è vivorum, ſed etiam fato functorum laudibus detrectando ſpolia petant, (quo ſcilicet omnia ingenio ſuo adſciſcant) ne illos quidem per quos profecerunt, nominent niſi contumeliæ cauſa, inque quoſdam, neſcio quid in Grammatica, verborum quiſquiliis, & ſyllabis diſſentientes tam atroces cooriantur, ac ſi æque magnum peccatum ſit, in verbo errare quam hominem occidere aut patriam prodere. Sed nos illos ſui ſimiles facile eſſe ſinimus, dum nos ſimus noſtri. & cum nullam odii cauſam habeamus præter illam civilem, qua non tam doctores, quam doctrinam peſtiferam & exitioſam in publicum petimus, abſtinentes criminibus etiam juſtis veriſque, etiam ultra quam harum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

rum diſputationum lex permittit, ſa-
tis habebimus in iis quæ tangemus
pro regio jure pie caſteque, ſimplici-
ter & libere more majorum pro li-
bertate dicere. Neque enim παράδο-
ξα nos & ſophiſticas rationes (eas re-
fellere fert animus) afferemus, ſed
res ſatis claras perſpicuaſque, ſi per
ſophiſtarum improbitatem liceret.

Jam primum veram hominis ad
convictum communitatemque præ-
ſtantiam, verum civitatum bonum
juſtitiam eſſe, illam dico quæ cum
ſcientia conjuncta eſt & una omnes
complectitur virtutes, adeo inter
omnes conſtat, ut non tantum in-
ter veteres, qui ſanctiſſimam ejus
originem à ſummo Numine dedu-
xerunt, noſque per iſtam ut cogna-
tos & amicos Numinis ad cælum ſuſ-
tulerunt, ſed illi etiam ipſi qui ma-
xime iniqui & in jus injurii, de cu-
jus ortu cum diſceptaverunt ipſum
de rerum natura removerunt, id ſint
confeſſi. nam qui matrem juris utili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tatem, qui jus metu injuſti dixerunt repertum, nihil quidem per ſe & ſua natura juſtitiam, aut ſane alienum bonum, hoc eſt ſummam ſtultitiam eſſe; tamen quod eam tollere rixas & contentiones, conglutinare amicitias, conſulere in commune, civitates fundare, augere, tueri, faterentur, præclarum inventum & divinum quoddam humanæ ſocietatis bonum eſſe confeſſi ſunt. Quemadmodum illi qui Deum eſſe ejuſque nutu & poteſtate mundum adminiſtrari audent negare, nihil prius quam ſuam ipſi ſententiam evertunt: cum enim Deum, id eſt, rationem non eſſe rationibus probare conantur, quod confirmant negant, & quod negant confirmant. ſic qui his proximi nihil ſua ſponte & vi jus eſſe opinantur, teneri tamen eo humanam gentem non infitiantur & rempublicam. Nam ſapientiſſimis quidem & cordatiſſimis philoſophorum, qui id operam dederunt, ut ſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

bi conſtarent, nec hoc ſatisfecit, quod Jovi adſidere diceretur juſtitia; eſſe ipſam Jovem, ipſam ſummam rerum omnium poteſtatem, ſine qua ne mundus quidem regi poſſit: ex hac omnem rationem & ordinem, ex hac originem, ex hac conſervationem rerum: hanc in uno animo ſanitatem, inter multos unitatem & concordiam. quando ſola præſtare poteſt, quod optat Homerus,

Ἔκ τε θεῶν ἔριν ἔκ τ᾽ ἀνθρώπων ἀπ-
λέσθαι,

Ex divûm atque hominum ut pereat
diſcordia cœtu.

Vitia enim varia, multiplicia & ſibi ipſis adverſa ſunt: virtus ſimplex, concors & cum maxime una, quæcumque moderatur conjungit & pulcherrimo concentu temperat & ſibi conciliat. Merito ergo imperatrix & domina & regina

--- *divûmque hominumque poteſtas,*

ſummumque & auguſtiſſimum ſupra omnia imperia habet imperium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

& cum omnibus hominibus pro meritis cuique locum & dignitatem tribuat, illis demum vicariam poteſtatem & maximum donat imperium qui juſtiſſimi, ſive quia ſimillimi Deo, ſive quia hominibus maxime ſunt utiles. Hi enim ſoli ſciunt revocare in pejus ruentes à malis, ſoli ducere ad virtutem, & de bonis meliores facere. ſoli etiam hoc agunt; quippe quorum felicitas in prolixa propenſaque erga alios voluntate, nec parva pars beatitatis in aliena beatitate ſita eſt. itaque vere digni imperio. *Imperium* enim, ut ait Ammianus, *cura ſalutis alienæ eſt*, aut, ut Antigonus (ut regum teſtimoniis de regno credamus) *ſplendida ſervitus. Soli verò magni*, quod dixit Ageſilaus. nam cum quidam Perſarum regem magnum de more Regem appellaret, *quid*, inquit, *me ille eſt major, niſi ſi juſtior*? Soli vere magiſtratus, imperatores, reges, & quidem natura: careant licet faſcibus & lictoribus.

Ducat

Ducat alius exercitum & ſummo cum imperio ſit, & alienam frontem circumeat diadema: vere tamen hi ſolis his conveniunt tituli. Pulchrioribus enim imperii inſignibus, dignioribus ſtipatoribus & majori omni imperio poteſtate, ornati ſunt virtutibus ſuis: quæ profecto ſi oculis cernerentur, divina ſui majeſtate majorem reverentiam & mirabiles amores excitarent, atque hos optimos tanto ſtudio tantaque contentione ambirent peterentque reges, quanta nunc regna ambiunt. Quis enim populus, ſi libera dentur veraque ſuffragia, non illum velit principem, qui omnes ad virtutem & libertatem & ſocietatem vocet imperii, bonos in partem curarum adhibeat, partiatur cum paribus imperium, melioribus ultro faſces ſubmittat, omniumque majorem quam ſui ipſius curam gerat? Contra quis non indignum, iniquum & pernicioſum æſtimet, dominos eſſe qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſerviant vitiis ſuis, habere ſubjectos qui ipſi rationi non ſunt ſubjecti, regere alios qui alienæ mentis egeant & imperii? Indignum malos malis imperare. æquant enim quos inquinant vitia. Quid ſi deteriores? quid ſi peſſimi? Profecto qui rem ex vero & ſua natura, non ex corruptis regendi loquendique moribus æſtimaverit, mancipia eos peſſima judicet, licet terræ teneant imperium, rebelles & ſeditioſos, licet legitimi principes ferantur, eoque majori malo mactandos quo ſunt majores. Quid enim aliud quam corrumpant populum? pejorem & vitioſiorem quotidie efficiant? quam ſocietatem omni ſolivaga & mixta feris vita nocentiorem reddant, & cum jure auferant quicquid eſt in nobis & divinum & humanum? Illud quidem certe nemo negare poteſt, (ſi cui forte hæc nimis Philoſophica, hoc eſt, vera videntur) ſolam eſſe ex qua homines cenſeri debeant juſti-

tiam;

tiam; quantum hac aliis alii præſtent, in tantum meliores & præſtantiores eſſe, tantum in civitate imperii, in amicitia inæqualitatis, tantum aliis in alios juris jure naturæ eſſe. Non ergo eſt infinitum hominum imperium, ſed jure definitum: non liberum, ſed virtuti alligatum: non ſummum, ſed ſubjectum rationi. Eadem de cauſa, non ſemper neceſſario eodem jure eſt, nec ejuſdem: ſed ſi homines mutentur, mutatur cum illis & ſequitur mores eorum; ſi cives meliores evadant, minus juris in eos erit regenti, plus, ſi deteriores. Jam ſi is qui regit alios proficiat in virtutibus, augetur jus illius, ſi deficiat, imminuitur, & aliquando virtute partum imperium per ſcelera omnino amittitur. Neque vero par eſt & ejuſdem generis omne imperium. Cum enim alii alia virtutum aut vitiorum indole ſint, aliud aliis conducere, aliud jus eſſe neceſſe eſt. Aliter fas eſt haberi gentem caſtis ſan-

ctiſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ctiſque moribus ornatam, aliter omni vitiorum genere coopertos & inquinatos: alia etiam his vitia propria & vernacula ſunt, quæ nunquam evelli ulla arte poſſunt, alia illis; & proinde, ut aliud morborum genus, aliud remedium poſcunt. Hi in libidinem feruntur, illi in vinum; hi æquo jure contenti ſunt, illorum hic domeſticus nativuſque ſenſus eſt, ut niſi abjecte ſerviant ſuperbe dominentur. Septentrionibus ſuis animati libertatem vix niſi cum anima amittunt; ad Orientem populi nati ſuetique ſervituti, & ut ille de Aſianis dixit, *in libertate peſſimi ſunt, in ſervitute optimi.* Aliorum infirmitas & vaniora ingenia regem poſtulant, aliorum gravitas & conſtantia æquatas leges. Nec idem genus imperii eſſe debet in civitate, in qua egregiorum & excellentium virorum magna eſt facultas, atque in illa in qua vix unus eſt atque alter dignus principe loco. Sed hæc craſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſiora ſunt: ſi propius intueare, multi admodum ac prope infiniti gradus inter homines ſunt; ita vitia virtutibus commiſcentur & confunduntur, ut jam ad amuſſim diſcernere omnia non ſit humani ingenii. Nam inter vitiorum mala & hoc eſt maximum, quod neque de ſe ſentiant recte, & de aliis bene neque poſſint judicare neque velint. Primum enim tot integumenta, tot receſſus habet, tam varium, multiplex & verſatile eſt ingenium humanum, ut vitia quædam præſertim nobiliora & ambitioſiora imponant ſpecie virtutis; & cum mercedem & injuſtos honores petant, ſequi ſolum honeſtum videantur. Ad hoc iniquitate hominum blandientia quædam vitia pro virtutibus ſunt; ſeveriores vero virtutes & ignotæ fere vitio vertuntur: quippe qui jam eo reciderunt, ut non tantum gravi vehementique teneantur morbo, ſed eum depravata conſuetudine in

na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

naturam verterint, eum ament, ei omnibus viribus blandiantur; itaque & eos maximo amore proſequantur, eos amicos & charos habeant, qui non jam medicinam adhibeant, ſed qui foveant alantque malum dulce & inveteratum: jam odiſſe inimicam virtutem, invidere dotibus quantumvis egregiis quas in ſe non agnoſcunt, detrahere pulchris facinoribus, viros memorabiles & magnos deprimere, ut ſic ſaltem ſeſe in altum tollant, & ſi minus ſuis laudibus ſuaque magnitudine at alienis criminibus & detrimento creſcant. Manet enim indignos appetitus iſte potentiæ & principatus infixus inſculptuſque in natura: eſtque hoc in ingenioſioribus & ut ita dicam, honeſtioribus vitiis vel iniquiſſimum, quod ſorte ſua haudquaquam contenti ſint, ſed fere quo minus mereantur imperia & honores, eo majori eorum cupiditate teneantur; quo bis fiunt in eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

dem crimine nocentes, ſemel quod peccant, iterum quod peccatorum ſuorum petunt præmia. Qua vitiorum perverſitate & varietate illud effectum eſt, ut judicium de vita & moribus & actionibus multis ita lubricum, anceps & obſcurum, ut ſæpe divinatio & ſortitio, ſæpe favor aut odium magis quàm verum judicium eſſe, veraque & omnibus numeris abſoluta juſtitia imperio ſuo dejecta & plane ex cœtu hominum pulſa & fugata videatur. Non tamen ita male conſtitutum eſt, ut non illa dearum maxima magnis multiſque ſuis veſtigiis emineat: & ſi non omnis, at pars ejus aliqua; ſi non ipſa, at umbra & imago ejus ſuperſit, inſtituta nimirum ſancta, utileſque & conſenſu comprobatæ ſententiæ & opiniones: quibus magis quam corporis figura, ceu vultu & lineamentis animi homines ejuſdem generis numerantur, & à feris ſegregantur. Nulla enim gens tam bar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

barbara & ab humana natura degener & aliena eſt, ut non cum genere univerſo commune in quibuſdam actionibus jus & fas, & cum illis etiam quos inexpiabili odio & continentibus bellis perſequitur, non opinionum aliquarum pacem & amicitiam habeat: quod quædam tam manifeſti & indubitati juris ſint & ab ipſa latæ natura leges, ut qui ſe tantum interroget nec ullo uſus ſit doctore, ſentiat ſe iis teneri, quique eas temeraverit, etiamſi Dei vim & hominum famam evitare poſſe certus ſit, ſe tamen apud ſeipſum accuſet & contra ſe dicat teſtimonium, quod peccaverit, bellumque non cum hominibus, ſed cum ipſa ſuſceperit humanitate. Bene tamen habet, quod in iiſdem vertitur ſalus omnis & conſociatio; nec tantum à Deo inſita in natura aut primis parentibus tradita, (nam Hebræi omne jus à divina traditione deducunt, nec tantum à Deo, ut autore naturæ,

ræ, ſed etiam ut præceptore, & ſane lapſis in pejus hominibus legibus opus fuiſſe & latas quaſdam à Deo certum eſt) ſed ea neceſſitas ſit, ut parentes liberorum, ut corpora eſca & potione, ſic animos iſtis educent & alant, quo cum illis una vivere poſſint & ab eorum violentia tuti eſſe. Recidunt enim ſcelera in auctores, & quamvis immanes & truculenti timorem circumferunt; nunquam tantum ab aliis timentur ut non plus in ipſos redundet timoris. Itaque eos qui ſine lege vivunt maximam partem honeſta tamen præſcriptione peccare videas. rari ſunt qui alios peccare palam doceant: qui tamen ipſi aliquas præſcribunt etiam ſcelerum leges, præfiniunt licentiæ modum, nec ſine particula aliqua juſtitiæ injuſti eſſe audent. Nam hæc neceſſitas & communis utilitas, aut fugienti terraſque relinquenti Aſtrææ moram afferens, aut aliquod ejus ſimulachrum cælo revocans,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cans, fecit ut omnium idem animus eademque mens eſſet. Quo conſenſu leges etiam quæ natura ſua leges ſunt inter homines ſanciuntur. Prima quidem & qua veritas ad liquidum explorari poſſit & recte & ordine jus conſtitui, certiſſima ratio eſt, ut quod genti humanæ in commune utile & ſalutare eſt, id juſtum habeatur & legitimum: quando utile & juſtum ſua natura, ut dixit Socrates, idem eſt: & hic omnis mali cauſa & origo, qui falſas ſecutus & fallaces utilitates, jus & verum ab eis ſeparavit. Proxima via eſt, ut illud jus putetur, de quo una mente conſentiunt omnes. Quod enim omnes volunt, omnibus conducere videtur; cum nemo ſciens quidem prudens ad ſuum damnum cum aliis conſpiret, ex quo fonte pactorum conventorumque ſanctitas & fidei religio oritur. Proxima autem dico ratio non par, quia cedit illi primæ, nec quicquam contra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

eam valet: & merito quidem cedit veritati opinio, & illud jus quod jus videtur ei quod per ſe jus eſt. Poſſunt enim labi & errare homines: neque ita conſenſu conſpirante leges faciunt, ut jus opprimere poſſint; ſed ut latens eruant, incertum conſtituant, certum confirment, & in commune conſulant. Quando vero in multis rebus actionibuſque variæ ſunt opiniones hominum, & è republica eſt ut ſit in rebus agendis concordia & certum jus, alia præterea ratione opus fuit qua jus definiretur. Quibuſdam illud placuit, quod pluribus placuiſſet, videntur enim præſtantiores facile pluribus poſſe perſuadere, quod verum eſt: tum facile eſt numerare capita. Alii illud receperunt, quod præſtantioribus viſum eſſet. quod longius abire videtur, non quidem re ipſa, ſed quod plurium iſtud jam judicium fuit, qui ſint præſtantiores. Alii, quia inter multos diſſenſiones naſci poſſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quod uni præſtantiſſimo placuiſſet: quod longiſſime in eo recedit à natura, quod nullus in eo ſit conſenſus plurium, deinde quod à pluribus, aut etiam à præſtantioribus factus ſit ille præſtantiſſimus. Hæc autem nihil contra conſenſum omnium in certas actiones, utique ſi conſtans ſit, ſemper aut plurimum valere debent: utrumque autem in bene conſtituta republica eſſe; ut in certos modos certaſque actiones conveniant, ut ne hominibus quædam injuſta ſit poteſtas; tum in homines certos, per quos iſte conſenſus cuſtodiatur & animetur, ut lex quaſi mutus magiſtratus, magiſtratus lex ſit loquens. Longius autem aberrat à natura jus iſtud, quod ab aliena voluntate pendet, quam quod certum & definitum eſt. Hoc enim ratione & ſcientia certa animos menteſque continet: illud ignorantia & quaſi ſuperſtitione quadam; cum quid ſibi agendum ſit haud vident, unum

ſciunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſciunt alteri parere. De actibus facilius judicium, de hominibus obſcura diſceptatio eſt, cum & initio errare potuerint, cum illos finxerunt præſtantiores, & illi poſtea mutari potuerint: itaque nulla ratio patitur, ut in omnibus homini ſimpliciter pareamus. Jam certarum actionum & concordiæ cauſa potiſſimum imperium hominibus certis traditur, non imperantium cauſa certum jus conſtituitur. nam ſi legibus ſua auctoritas, ſi vigor eſſet, & omnia legibus comprehendi poſſent, per omnia idem homines ſentirent, regibus haud indigerent, omnes ſponte recte facerent. Quamobrem legibus illis quæ conſenſu perpetuo populi & longa conſuetudine moribuſq; confirmatæ ſunt ſubjecti quoque illi qui rerum potiuntur. Unde veteres magno conſenſu dixerunt, *Legum ſummum in civitate imperium ſummamque poteſtatem eſſe, & magiſtratus civibus, leges magiſtratibus imperare debere.*

 Chry-

Chryſippus : *divinarum humanarumque rerum reginam legem.* Pindarus νόμον πάντων βασιλέα. Auctor libri de mundo, ſive qui eum Latine vertit Apulejus, *Legem in civitate eſſe quod in Deo mundus :* Cicero; *Mens & animus & conſilium & ſententia civitatis poſita in legibus; hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis :* Chryſoſtomus : ἔστι γὰρ ὁ νόμος τοῦ βίου ἡγεμὼν, τῶν πόλεων ἐπιστάτης τῶν γὰρ πραγμάτων κανὼν δίκαιος. Itaque ſi tempus, modus, conditiones præfinitæ ſunt imperio, iis non ſtantem jure imperii excidere eum qui imperat manifeſtum. Certiſſimum autem, ſi contra omnium utilitatem, ſi contra jus naturæ aliquis regeret, eum abdicare ſe imperio. Jure naturæ meliores imperant, deteriores ſubjecti ſunt? quare ut deteriores imperent melioribus ne conſenſu quidem conflato & conſpirante omnium, juſtum erit & legitimum. Quanquam ita conſtitutum eſt ſæpe, ut meliores jus hoc

ſuum nec experiri nec exſequi poſſint, nec debeant propter majora incommoda, & populi ad prava conſenſum & conſpirationem. Nam potiſſima vis & exſecutio juris in conſentientibus ſita eſt opinionibus, ſine quibus nemo quicquam præclarum aut magnum gerere, imo ne tuto quidem vivere poteſt. ab his, quod hominem ſupra cetera animantia extollit ex pacto, quod vero ſupra hominem effert omnino eſt. Homo enim vi naturæ vix homini, nedum magnæ multitudini imperare, non cogere, non ſubjicere ſibi plures poteſt. publicum illud pactum eſt & conſenſus idem volentium. Quod cum boni ſancte colunt, mali timent, omnes in officio continet, ordinemque illum imperandi & parendi & conſtituit & conſervat inviolatum. Cumque fortiſſimi quique & maximi, nec ipſe Hercules illo animi & corporis robore, illis immanibus & ad pugnam natis lacertis duobus par eſſe potuerit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

hujus conſenſus numine & cæleſti vi multæ magnæque nationes ſingulari ſæpe homini ſubjiciuntur, multa armatorum millia nudo ſæpe & inermi, callidi prudenteſque, inſolenti & ignaro rerum; fortes & magnanimi puero ſæpè infanti herbam dant, poſitoque genu & humi jacentes adulantur, ac velut Deo cedunt, & ab eo fata ſua accipiunt: tanquam ſi natura ſua, non parentium & ſubjectorum voluntate magnus, potens & venerabilis eſſet. Idem facit, ut communi jure & paribus auſpiciis homines rempublicam gerere & inter multos unum eſſe imperium poſſit: item populum in concionem, ſenatum in curiam cogit, alios atque alios per vices imperio donat & rurſus privatos facit; nec populum tantum, ſed ipſos etiam principes cogit in ordinem & cuſtodit, ne extra terminos evagari, temerare leges & mores, perdere rempublicam aut in pejorem faciem transformare audeant. Nam di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

diverſa genera imperiorum, ac jure naturæ aliis in alios aliud juris eſſe debere ante diximus. Videamus nunc in quot genera conſenſu debeant diſtingui.

In univerſum quidem & craſſiori Minerva, ut decet quo benè diſcerni poſſit, rem æſtimanti in tres claſſes genus humanum recte tribui apparebit, bonos, malos, & mediocres ſeu inter hos interjectos. Quidam ea virtute ſunt, ut etiam alios meliores facere & rectè moderari poſſint; alii ita vitiorum toti, ut omnino debeant in alienâ eſſe poteſtate; alii vero ita mixti ſunt, ut aliorum ſalus iis quidem haud ſatis tuto committatur, ſui tamen ipſorum ſatis commodi rectores ſint. Et quidem in ſocietate tria tantum genera eſſe liquet: aut enim regant alios, aut regantur, aut neque regant, neque regantur ſed liberi ſint neceſſe eſt. Vidit hoc, qui pleraque, Ariſtoteles, ubi contra eos diſputans qui omnia im-

peria paria atque eadem eſſe, neque civitatis imperium à domeſtico, niſi numero ſubjectorum putant diſcrepare, tria genera imperiorum eſſe demonſtrat; πολιτικὸν, βασιλικὸν, δεσποτικὸν, *principatum*, *regnum*, *dominationem*: primum in pares & imperii conſortes, alterum in liberos & ex aliquâ quidem parte pares ſed ſummi imperii non participes, tertium in ſervos. Quamvis enim omnes nec ſimul nec in omnibus regnare nec liberi eſſe poſſint (nominis enim ſummum imperium ſummaque libertas eſſet, ubi omnium ſummum imperium, & abſoluta libertas) certis tamen legibus, locis, temporibus in partem imperii libertatiſque venire & ordinare rempublicam poſſunt: idque pacta & conſenſus populi præſtant. In primo genere coiere in fœdus, qui ſummam rempublicam adminiſtrant aut adminiſtrare poſſunt: in ſecundo ſummum de republica arbitrium civium non eſt, leges tamen quaſ-

quaſdam æternas & immutabiles habent, quas nemini liceat temerare. in tertio abdicavere à ſe & in dominum tranſtulere ſubjecti, quæ natura homini licet in alium transferre. In primo, ſi magiſtratus legibus naturæ aut imperii, vim faciant, civibus ut paribus, jus eſt etiam pœnam de iis ſumendi; in ſecundo ut liberis, jus reſiſtendi; in tertis quod liceat maximum eſt, non parere. Civile illud in bonos aut ſaltem non malos: itaque optimum eſt imperii genus, regium in mediocres, mediocre & ſatis tolerabile. herile hoc in malos & perditos: quare & peſſimum omnium eſt (*ſervitus* enim, ut dixerunt verè Jureconſulti, *contra naturam eſt*) pœna potius quam imperium; neque juſta eſt, niſi eorum qui contra naturam vivunt & injuſti ſunt. ſed nos de ſingulis videamus.

Civile ſocietatis genus eſt inter quos ſummum imperium legibus diviſum eſt: inter eos autem eſſe de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

bet *qui apti ſunt ad parendum atque imperandum* , ut dixit philoſophus. Πολιτικὸν appellat propter eminentiam, ut πολιτείας generis nomine ſpeciem illam quæ inter *populare* & *optimum* genus civitatis media. idem & Plato *popularem* appellat *adminiſtrationem*. Sic idem philoſophus πολίτην ἁπλῶς definit eum *qui judiciorum & magiſtratuum particeps ſit*, civem nimirum qui maxime civis. quod fruſtra carpit is qui patrum noſtrorum memoria de republica ſcripſit, & iſtos qui nunc de ea balbutiunt, viam docuit qua plura auderent. Ut enim qui dominum definire vult, illum definire debet qui jure non imminuto Dominus; ſic etiam qui civem, illum qui pleno jure civis eſt debuit definire: qualis nemo eſt niſi in hoc genere; cum in optimatum imperio ſoli optimates pleno jure cives ſint, cum in regno nemo civis ſit niſi imminuto jure, accedens ad conditionem ſervitutis. Civile igitur

ſeu πολιτικὸν imperium, quia maximum in eo cives jus habent & vero jure civitatis utuntur. Quod nollem ignoraſſet autor defenſionis regiæ: neque enim homini Britanno neſcio quam de vocabulis controverſiam moviſſet, quod dixerit, *regem Britanniæ πολιτικὴν in ſenatu, non regiam poteſtatem habuiſſe*. Non jam quæro qualis illa fuerit, neque id hujus cœpti eſt. Illud dico; Ariſtoteles, ſi idem quod ille ſenſiſſet, ita locutus eſſet. itaque Ariſtotelem, non illum ut mente captum & ſenſus communis expertem traduxit, cujus tamen deinde interpres eſt. Sed video quid iſtâ ignorantiâ agatur. ſervitus, quam neſcio tamen an ſic ignorantia ſua approbare civibus poſſint quam ipſi merentur. Diviſum primo imperium & æqualitas inter eos eſt qui una rempublicam regunt & ex parte domini ſunt, ſic apud Senecam Lycus Megaræ:

Particeps regno veni,
Sociemus animos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Tarquinius de Romanis: *eos inter ſe, quia nemo unus ſatis dignus regno viſus ſit, partes regni rapuiſſe.* Martialis de Domitiano:

Solus Iulæus cum jam retineret habenas
Tradidit, inque ſuo tertius orbe fuit.

Ad hos referendi qui unius ſummi concilii ſenatores: deinde ubi per tempora diviſum imperium, ut poëta de Cæſare:

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane,
Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet;

& ut fit in republica populari: cum enim omnes pares eſſe non poſſint, nec ſimul imperio præeſſe, proximum eſt ut imperent pareantque per vices. *æquæ enim libertatis eſt*, ut ille ait, *invicem annuis magiſtratibus parere & imperitare; neque ulla major libertatis cuſtodia, quam ſi imperia, præſertim magna, non ſint diuturna.* Eſt & aliud genus eorum qui unum imperium

rium per regiones partiti ſunt, ut alius alibi ſummam rempublicam procuret, ut olim triumviri Octavianus, Antonius, Lepidus; Imperatores illi qui ſocii regni fuere, quorum alter orientem alter, occidentem tenuit. Tale etiam imperium inter Deos fabulati ſunt poëtæ, quum cælum Jovi, mare Neptuno, Plutoni inferos adſcripſerunt. Aliud eſt ubi diſtincta hominum genera; veluti cum hic militem ille cives imperio regit: aut cum res, ſi hi rempublicam, illi rem divinam adminiſtrant, & ſimilia. Quibus ſi ſolæ leges præſint & ſummam teneant rempublicam, illa naſcitur forma, *in qua diverſa civitatum genera mixta & modice confuſa* eſſe veteres ſenſerunt. Talem judicat rempublicam Platonis Ariſtoteles, talem Spartanam fuiſſe: de qua & apud Platonem [Megillus Lacedæmonius,] *haud facile dictu eſſe, quo illa ſit nomine appellanda, cum partim regni, partim optimatum re-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

giminis, partim popularis adminiſtrationis, partim etiam tyrannidis ſimilis videatur. Polybius omnis publici juris prudentiſſimus autor, *quod populus Romanus leges juberet & magiſtratus crearet; ſenatus de provinciis, ærario aliiſque rebus arbitrium haberet, legatos exterarum gentium reciperet dimitteretque, conſules vero regia quadam poteſtate ſenatum haberent, populum in concionem vocarent & in bello ad ſummam rerum libere conſulerent, rempublicam Romanam ex tribus civitatum generibus mixtam & temperatam fuiſſe* cenſet. Haud abſimile de Carthaginenſium republica judicium Cato fecit. Ac de veterum quidem ſententia hac in re non dubitatur. At nuper nati qui ſibi ſoli ſapere videntur, ejuſmodi civitatem neque in re neque in natura poſitam, ſed omnino in libris ingeniiſque umbraticorum doctorum effictam; aut ſi qua fortè fuerit, deformatam in omni genere, & monſtrum potius civitatis quam civita-

tem eſſe; imo eſt, qui ejuſmodi portentum, niſi delirantem de Cerbero tricipite, & in ſomnis rempublicam conſtituentem, ne pictum quidem aut fictum quenquam vidiſſe audeat dicere. Etenim ſummum imperium dividi non poſſe. ſcilicet hoc quiſquam non videt, ſummum illud & maximum quod cætera omnia continet & compingit imperium unum ſua vi & natura eſſe, & quod de navi ille dixit, *perire & everti, non dividi, cum dividatur*. nam ut ſummum ſit & infinitum, unum ſit oportet: ſi unum non eſt; ſummum non eſt, par habet; unde & veteres Eccleſiæ doctores eo inprimis revincunt paganos, Deum & illud imperium

Cui par eſt nihil & nihil ſecundum,

unum eſſe, quia ſummi ratio non aliter conſtat quam ſi unum ſit. Perit enim & vis omnis & nomen imperii: *cum nemo*, ut dixit Chriſtus, *duobus dominis*, qui ſcilicet infinita ſint poteſtate, *ſervire poſſit*. nam ſi exem-

pli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

pli gratia, alter ſervare domum, alter in caſtra proficiſci, & diverſa tantum eodem temporis momento, nedum contraria & ſibi repugnantia juſſerit; aut alterius juſſa cedant, aut nullum & irritum fiat utrumque imperium neceſſe. Sic & Jurisconſulti dicunt *non poſſe duos ejuſdem rei dominos eſſe*, ſcilicet in ſolidum. Et ut de civitate loquamur, non alia de cauſa unam dicimus, quam quod uni eidemque imperio ſubjecta ſit. Quid ergo eſt? Ratione definitur, legibus circumſcribitur illud de quo ſermo eſt civitatis imperium: & arte illud efficitur & propoſito, ut plures æquali jure & pari poteſtate eſſe, dividique imperium & tamen unum eſſe, pluriaque civitatum genera in una eſſe civitate poſſint. Hæc ſi tu non intelligis, parce quæſo tantos viros per alienum latus ſauciare, aut ſi tibi Plato, Ariſtoteles, Polybius, Cicero, cum de reipublicæ temperatione diſputant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tant, vaticinari & inſanire videntur, habe tibi uni atque admirare tuam illam divinam ſapientiam, ſed ſine rivali. prius tamen intelligas eos quam interpreteris, ſuadeo, non jam dico maledictis inceſſas, ne debeas lectori ludibrium. At ſi intelligis, jam nobis tecum res ſit. An tu ullum uſquam imperium eſſe putas ubi proceres aut populus ſummam rempublicam teneant? de optimatum imperio non, negabis. Anne igitur plures ſunt qui ſummam rempublicam regunt? anne pares? Quid ergo eſt quod ex multis & paribus poteſtate, unum conſtituat imperium? leges ſine dubio; & illa potiſſima, ut in eo quod pluribus placuiſſet cæteri acquieſcant. Eædem ſunt, quæ ex diverſis civitatum formis unam faciunt. unus puta, princeps tertiæ civitatis partis perſonam gerit, & tantum valet ejus ſententia; tertiæ item partis proceres: pari jure ſit reliqua omnis multitudo. hi pares inter ſe

ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſunt, nec in pares habent imperium: non licet principi invadere jus procerum nec plebis, non proceribus nec populo jus principis; & ſi invadere conetur, licet inſons & is qui invaditur pœnas ſumat de nocente, legibus tamen hæc una & eadem ſit reſpublica. Tradit Plato, *Heraclidas Argo, Meſſene & Lacedæmone conditis jus jurandum inter ſe dediſſe: Legum ſummum in tribus civitatibus fore jus perpetuumque & immutabile, neque unquam ab iis abituros; non liberum fore populis imminuere dignitatem regiam, non regibus gravius duriuſque inhibere imperium: & ſi quid in iſta delinqueretur, regibus reges, populis populos opem & auxilium promiſiſſe.* Idem, *Spartæ ſenatum* XXVIII. *virorum in rebus maximis parem regibus, proximam vero Ephororum poteſtatem* non ſemel dicit. An tibi diviſum non videtur imperium, ubi tam populus regem quam rex populum in ordinem cogere poteſt? ubi par eſt regiæ ſenatus & pene populi

po-

poteſtas? fuere tamen hæ ſingulæ civitates; & aliquot ſecula Spartani unis legibus moribuſque vixerunt & floruerunt ſine infinito imperio & ejus patronis beata. Romæ primis quidem temporibus plus juris penes patres fuiſſe; utique plebi non plus dediſſe juris, quam ipſi retinerent, ſatis notum eſt. Illo deinde ævo, quo plus ſane juris in ſe traxerat populus, quoque iſti *rempublicam Romanam mere popularem* volunt fuiſſe, quo & Cicero dixit, * *poteſtatem populi proxime ad Deorum immortalium numen accedere*; tamen reſpublica, ut iſti volunt, merè popularis non fuit, nedum ut omnia populo licuerint, aut ut populus peccare non potuerit. Quod ſatis oſtendit ſolemnis illa legum adſcriptio: SI QUID JUS NON ESSET ROGARI, EJUS EA LEGE NIHILUM ROGATUM. ad quam Tullius: *quid eſt*, inquit, *quod jus non ſit quod populus jubere*

* *Poſt red.*

re aut vetare non poſſit? ut ne longius abeam, declarat iſta adſcriptio eſſe aliquid. nam, niſi eſſet, hoc in omnibus legibus non adſcriberetur. Sic quoque in leges ſacratas populus jus non habebat, obligatus earum religione. Cicero pro domo ad Pontifices: *Majores noſtri de civitate & libertate ea jura ſanxerunt, quæ nec vis temporum, nec potentia magiſtratuum, nec res tum judicata, nec denique univerſi populi Romani poteſtas, quæ cæteris in rebus eſt maxima, labefactare poſſit.* Senatui autem poteſtatem & jus ſuum eſſe per ſe ſemper æſtimatum eſt. Unde narrat Cicero, *cum Craſſus magno cum plauſu in concione ad populum dixiſſet, Nolite nos ſervire cuiquam, niſi vobis univerſis, quibus & poſſumus & debemus, P. Rutilium hominem doctum & philoſophiæ deditum non modò parum commode, ſed etiam turpiter & flagitioſe iſta dicta eſſe dixiſſe: neque enim ſapientem probare poſſe, ſenatum ſervire populo, cui populus ipſe moderandi & regendi ſui poteſtatem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſtatem & quaſi quaſdam habenas tradidiſſet. Quid quod ille publici conſilii dominus, conſulibus poteſtatem plane regiam tradere potuit, decernendo, *viderent Coſſ. ne quid reſpublica detrimenti caperet.* Eo enim Coſſ. [a] *exercitum ſine populi juſſu parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios & cives, maximumque domi & militiæ imperium permittebatur.* [b] Quid quod Conſules juſſu Senatus Dictatorem dicere, hoc eſt permittere uni maximam in rep. poteſtatem potuere & ſæpe contra plebem; *poteſtatem, quam populus timebat magis* (ut ait Vellejus) *quam deſiderabat.* quod ne populo quidem conſule abſente jus fuit: ut patet ex hiſtoriâ Romana & exemplo Fabii Maximi, quem altero interfecto, altero abſente Conſule, extremis reipublicæ temporibus, quod Dictatorem facere non poſſet populus Prodictatorem creavit. Ac profecto ſi non legum ſed po-

a *Sal.* b *Vid. Liv.* 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

populi ſupremum jus fuiſſet, ac multitudini omnia in omnes licuiſſent, multum cauſæ Julius Cæſar habuiſſet. ſenſere tamen aliter quicquid Romæ ſapientia aut virtute clarum: & in caſtris, ubi ſenatus pars maxima, ubi Coſſ. ubi cæteri magiſtratus, non Romæ, ubi maxima populi multitudo, remp. eſſe judicantes, partes Pompeii ſecuti ſunt; atque adeo quæ fere incorruptius judicat poſteritas, boni certe omnes, etiam tum cum Cæſaris ſucceſſores Romam tenerent, & periculo plenum eſſet, victam probavere cauſam, neque cum fortuna, ſed cum Catone ſenſerunt. Et audent irridere Polybium, Ciceronem, quique iſtos ſecuti ſunt, ceu rudes in republica, ſophiſtæ noſtri, quod Romanam ex pluribus civitatum generibus delectam & compoſitam putant rempublicam, cum tantis in rebus ſummum imperium conſulibus, ſummum in ſenatu conſilium fuiſſe, cum tan-

tantum conſules ſenatuſque in populum potuiſſe non poſſint negare? Illum tu merum imperium habere, illum ſummam poteſtatem dicis, quem alius coërcere, quem in ordinem cogere, in quem transſcribere alii imperium alius poteſt? Vide ne & actum ſit de infinita illa & libera regum tuorum poteſtate: nam populus in populari republica rex eſt. ſi in populum ibi tantum licet ſenatui, cur non & tantum in regno ſenatui aut populo in regem liceat, cum eadem utriuſque conditio ſit? Igitur tua cauſa, non tantum veritatis, fatere mixtum Romanæ reipublicæ ſtatum, & diviſam fuiſſe poteſtatem ſummam inter plures. Sicuti & vulgo ea nomina non alicujus unius aut populi ſolius fuere, quæ iſti hodie ſemper in ore habent. *Conſulatus ſummum & regiæ majeſtatis imperium* dicebatur. Livius, *conſules in locum regum ſucceſſiſſe, nec aut juris aut majeſtatis quicquam habere quod non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

in regibus ante fuerit. Plinius, cum jam tot tyrannos tulerat Roma, & principatus regnum eſſet, *Trajanum conſulem duas ſimul ſummas poteſtates capere conſulatum & principatum*, dixit. Græcis τὸ κῦρος & ἀρχὴ etiamſi omnes imperii ſpecies comprehendant, proprie tamen legitimi & moderati imperii; & ſummos in libertate magiſtratus etiam κυρίας ἀρχὰς vocant. *Tribunatum* etiam plebis *ſummam poteſtatem* vocat Saluſtius. *Imperatores itidem extra urbem ſummum imperium habere dicebantur.* C. Claudius apud Livium dixit, *ita demum liberam fore civitatem, ita æquatas leges, ſi ſua quiſque jura, ordo ſuam majeſtatem teneret, ſummus ordo ſenatus, ſummum conſilium, ſummique conſilii dominus, cujus ne reges quidem majeſtatem imminuiſſe*, ait Livius. neque enim eſt majeſtas, aliud quam dignitas ex imperio & honore, nec tale quid quale hodie fingunt omnipotentiæ patroni. Sic apud Livium *pa-*

tria

tria majeſtas, *majeſtas viri* apud Attium, *majeſtas prætoris* apud Juriſconſultos, Cato epiſtola ad Ciceronem, *ſe voluiſſe de ejus majeſtate*, dicit, *quod ampliſſimum arbitratus eſſet*. Infinitæ autem illius poteſtatis, qualem in omni republica dicunt, ne proprium quidem & præcipuum, quod populo ſoli conveniret nomen habuerunt. neque verò quid regnum, quid dominatio, quid tyrannis eſſet, ignoraverunt: ſed iſta nomina, æque ac rem ipſam, à libera republica merito repudiaverunt. Quid ergo eſt quod ſummarum iſtarum & æqualium poteſtatum amicitiam & concordiam conſtrinxit & ſuam cujuſque ordinis imperiique majeſtatem conſervavit? Idem quod multorum optimatum, qui eodem omnes jure ſunt, animos ſociat. Si plurium hominum voluntates legibus conciliari & conjungi poſſunt, cur non & poteſtatum? poteſtates enim perſonam hominum gerunt, & tam

iſti

iſti quam hæ inter ſe æquales ſunt, ut modus quidem diverſus, res plane eadem ſit. Idem metus utroſque, eadem reverentia continet, ne conculcatis illis legibus quibus conſtituta eſt reſpublica, in hoſtile omnium odium incurrant qui conculcaverunt: eadem ſpes tuto & honeſte vivendi, ſi legibus obtemperent ſuis. Quare ſi mixta illa imperia non poſſunt exiſtere, illa ſimplicia optimatium aut populi nulla etiam erunt, nec jam ulla erit in terris facies imperii quam tyrannis. Hæc ſunt illa myſteria, hæc illa arcana, quæ poſt iſtud ſiparium latent. hoc jam pridem agitur iſtis doctrinis, verbo mixta imperia, re omnis libertas impugnatur. Quin ergo omiſſis tandem ambagibus ex animi tui ſententia loqueris; quin prorumpis in ea verba, quæ homines minimè mali, rerum conſequentias iſtarum non videntes, intelligant, & palam genus humanum & populos novus doctor in-

inſtituendo vocas ad ſervitutem? *Nolite errare ultra tam pernitioſum errorem populi, nolite decipi; plures rempublicam tenere non poſſunt, unus dominus ſit oportet: ubi plures ſunt, nulli ſunt. Quid mihi libertatem? quid leges appellatis? aranearum ſunt iſtæ telæ & verborum præſtigiæ, vix pueris dignæ, fallaciæ, quibus imperitos in errorem inducunt & capiunt turbulenti homines. non certum imperium eſt, ubi multi regnant, non jus, non fas; quod non in natura, ſed in unius libidine poſitum eſt. Ponite tandem errorem populi voſque cives qui in libertate vos vivere putatis, & juſtum imperium accipite, quod ſit liberum & unius verè unum. Bonum factum, ſi quis rempublicam in meliorem ſtatum converterit.* Hæc ſentit etſi non dicit, hæc diceret ſi quod animo agitat eloqui auderet. Quid enim aliud volunt iſtæ cavillationes, quibus dividi imperia negat poſſe, & ſummum imperium illis alligari legibus? *Qui ſummum habet imperium,*

inquit, *non poteſt id amittere violatione fidei vel jurisjurandi, etiamſi juraverit, ſe ſecundum leges ac jura regni juſtitiam adminiſtraturum, & niſi id faciat cives ſacramento fidelitatis ſolutos fore & facto ipſo abiturum poteſtate? tenetur quidem apud Deum, coram quo id promiſit, pacti & jurisjurandi fidem præſtare.* Quid tu appellas ſummum imperium? an legibus finitam poteſtatem, an infinitam? ſi infinitam, eam non habet ejuſmodi Princeps. Hoc ergo dicis: ſi infinitam habet poteſtatem, qui illam non habet; qui ei ſubjecti ſunt non ſolvuntur ſacramento, etiamſi ſolvantur. Nam ſi legibus adſtrictam vocas poteſtatem infinitam, quid aliud dicis quam legibus nullum obligari poſſe? hoc vero quid aliud eſt quam tollere de rerum natura pactorum conventorum religionem? quam leges tutelare humanæ ſalutis & libertatis numen? quam fidem & cum eâ omnem una vivendi, loquendi, audiendique com-

commercium, omnem ſocietatem evertere? Hoc non eſt libidinem & licentiam & ſuperbiam ubique gentium, dominationem & devota perjuria ſancire, & cauſam non poteſtatum ſed impotentiæ agere? Nihil enim leges, nihil jusjurandum niſi ſonus inanis, ſi illa non obligant, non exſolvunt. Omnipotentiæ tibi argumentum videtur quod in verba regis populus adigitur: & quod rex aram tenens aut ſacra tangens non mentem tantum ſuam, ſed ipſum Deum teſtem adhibet, ejuſque iræ, ſi ſcienter fallat, caput ſuum conſecrat; quod legibus, quod ipſi populo ſe obligare cogitur, nec judex niſi ad certa jura & quidem juratus conſidet, non limitatæ tibi poteſtatis, non diviſæ indicium? Magicâ ſcilicet quâdam vi & potentiâ nomen regis non ſupra homines ſolum, ſed ipſum pæne Deum hominem extollit. Ergo nihil ſunt leges, omnia ita tenebris circumfuſa, ut nihil definiri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

poſſit & deſcribi: hoc certe dicant neceſſe eſt; non tantum cuſtodem, ut putaverunt veteres, & ipſe Deus, qui ejuſmodi civitatem in Judæis inſtituit in qua ſolæ leges dominarentur æternæ & immutabiles, ſed plane dominum habere debere, & ut cætera ſervire libidini alienæ. Quæ ſi eſt legum conditio, res quoque Chriſtianorum divina tyranno eget, & ſacrorum noſtrorum leges dominum debent habere non tantum cuſtodes. leges enim ſunt, & pertinent ad ſummam rempublicam, & recte omnia & ordine jubent fieri. Quid ergo reſpuis in ſacris omne hominis imperium judiciumque? (video enim in Papam & ejus propugnatores & ſatellites te ſatis effterveſcere.) Quid non proſtratus ad aras Romanas reſponſa accipis Pontificum, & iis te aggregas, qui ſacramento rogati aut ſuperſtitione conſtricti à juſſis perſuaſionibus recedere ingens ſcelus putant & piaculum? aut non ſaltem,

quo-

quotiens de ſacris quæritur, ad regum tuorum provocas libidinem? Quid mihi ſacrarum tabularum, quid veteris aut novi inſtrumenti mentionem facis? leges iſtæ ſunt, hoc eſt inania, te judice, vocabula? At hîc non tantum dominum non patiuntur. Sed omittamus iſtos. primum ſatis ſit oſtendiſſe, eos qui falſas veritate opiniones propugnant, aliud alibi de re eadem ſentire, nec tam ab aliis quam ſeipſis diſſentire. Deinde oculorum noſtrorum teſtimonio & experientia ſatis revincuntur. manent enim integræ, Deo gratia, divinæ leges, ſuamque & pleniorem ſine tyranno habent autoritatem. Nam pars major eorum qui Papæ nuncium remiſere, nec tamen ſe ſub ditionem & poteſtatem alienam ſubjunxerunt, idem tamen cum tota republica Chriſtiana de Dei numine, de Baptiſmo, de mortuis in vitam reditu- ris, de tota pœne fidei regula ſen-
 tiunt.

tiunt. Quid eſt quod eos cogat in tantis rebus convenire, præſertim his animorum motibus, his tumultibus, hoc inſano partium ſtudio verſante animos: poſtquam bella facta ſunt quæ fuerant opiniones diſcrepantes, & alteri de alteris diſſentire, etiam nullâ de causâ etiam eâdem de causâ (quum ritus multos hi repudient tantum quia uſu recepti fuerunt, illi pertinaciter tueantur) ſed ſolum diſſentire præclarum putent & magnificum? Quid ergo eſt quod exulceratos divulſoſque animos tamen retinet, niſi divinitas illa & vis legum Chriſtianarum? *Dividi*, inquis, *jura ſummi imperii non poſſunt.* Ergo qui aliquid in alium juris habet quod nulli ſubeſt is habet omnia. Reges, Principes & reſpublicæ omnes quæ Eccleſiæ Romanæ addictæ ſunt, Papam ſummum de re ſacra arbitrium & judicium habere fatentur, nemo eorum ſibi tantum ſumit, ut in iſtis ſe adæquet Pontifi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ci maximo, nedum ut ſe ei præferat. Vide quo loco ei ſint tot magni reges, tot illuſtres civitates; cum nihil ipſi juris, nihil libertatis, ſed viliſſimorum inſtar mancipiorum contra illius nutum & ditionem ne reſpirandi quidem poteſtatem habere videantur. Tum quid fiet tot civitatibus, quibus plenus eſt Septentrio, quæ omnes habent diſtincta jura & diviſa, iſtâ doctrinâ admiſtâ? (Sed omittamus hoc ſeculum.) Jam quid fiet fœderibus per quæ reges nationeſque ſociant jus ſummum? Exempli gratia Romani cum Ætolis fœdus inivęrunt, ut hoſteis eoſdem haberent bellumque pariter gererent; aut cum Rhodiis, ut eoſdem inimicos atque amicos fœderati haberent. Jus belli & pacis ſummum haud dubie eſt. Igitur hoc qui conjunxere, unam ex duabus civitatibus fecere, neque Romanis ſine Ætolis, neque Ætolis ſine Romanis quicquam domi aut foris genere licuit, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quidem ad rempublicam pertineret. Quæ quam abſurda ſint & omnium ſeculorum conſuetudini contraria, quamque fœderum dominationem & tyrannidem introducant, nemo non videt. Quid autem aliud eſt diviſum imperium, quam ſanctum quoddam & inviolabile in republica populi aut ordinum cum principibus & principum cum populis aut ordinibus fœdus? Hoc qui tollit, fœdera tollit omnia, non ſolas civitates mixtas. *At divellitur facile in ejuſmodi civitatibus concordia, & tollitur certum imperium.* Nega ergo diuturna & perennia eſſe ejuſcemodi imperia, non vero uſquam exſiſtere. Quamquam quod tu mihi genus imperii invenies, quod non tumultu ſæpe horribili concutiatur? Quæ dominatio unius, quæ hoc ſervitus præſtabit, ut bella domeſtica, turbæ & factiones omnino intereant? Scilicet æternam faciet rempublicam homo mortalis, & qui omnibus ipſe caſibus & huma-

nis malis ſubjectus eſt, civitatem ab omni fortunæ imperio liberabit? Sit ſane certa dominorum domus. quoties hæredes de dominatu dimicant, ubi pronior in illum eſt populus cui minus eſt ad imperium juris? Jam quoties evenit in regno, ut rerum ſumma ad puerum devolvatur, & is alienæ curæ indigeat, cui tot populorum ſalus & vita eſt commiſſa? quotiens ad vanum & lubricum adoleſcentem, qui nec regere alios ſciat, nec jam ab aliis velit regi? quotiens exacta dementique ætate qui rerum potens eſt? ut jam non dicam quotiens (ut eſt incerta ſors naſcendi) illis, qui totam vitam pueri ſunt & nati ſervituti, in ſervitutem tradatur populus? Quibus in caſibus tam frequentibus neceſſario ſub perſona domini alieno imperio ſubjicitur. Itaque, quaſi nullum eſſet imperium, proximos & continuos regum, qui ſunt in procuratione regni, diſceptare de poteſtate, divellere contentione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

regnandi civitatem & ſumma juris miſcere videmus. Sæpe ita etiam firmant potentiam, ut veris dominis imperium extorqueant. Quid quod callidi & veteres regnandi ne quidem à ſeditione tutam præſtant rempublicam quantâvis cum poteſtate? Non enim divinâ quadam naturâ & potentiâ donat regnantes imperium, quæ ſicuti animus per noſtrum corpus ſic per omnia imperii membra ſpargatur & ſe diffundat. ac ea eſt rerum conditio, ut egeant præſenti cura, moderatione & imperio cujus majeſtas impune non eludatur: quo fit, ut cùm imperatoribus, præſidibus, magiſtratibus in multis permittendum ſit, ut agant faciantque quemadmodum è republica & fide ſua duxerint, imperium etiam quodammodo unus cum aliis partiri neceſſe habeat. In re militari imperatorem, ut capere ex re conſilia, & tempus, cum res vocat, poſſit arripere, omnis ratio poſtulat, eſſe ſum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

mo cum imperio, in illos utique quibus imperat. ſequitur in hoſtem miles, ubi imperaverit; tollitur è medio, ſi quem interfici juſſerit: reſpiciat licet ad alium ſumma imperii, interim tamen ſumma eſt. nec illud cladem reipublicæ reconcinnare, nec nec cæſos in vitam revocare poteſt, ſi deinde pœnas dederit cineri atque oſſibus eorum. Quæ tam clara ſunt & perſpicua, ut in quovis reipublicæ ſtatu plures tamen imperium tenere ne defenſor quidem potuerit negare. Ariſtoteles in III. Polit. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ῥᾴδιον ἐφορᾷν πολλὰ τὸν ἕνα, δεήσει ἄρα πλείονας εἶναι τοὺς ὑπ' αὐτοῦ καθισταμένους ἄρχοντας ὥστε τί διαφέρει τοῦτο ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς ὑπάρχειν, ἢ τὸν ἕνα καταστῆσαι τοῦτον τὸν τρόπον; *Jam vero ne facile quidem eſt unum multa adminiſtrare, plures ab eo magiſtratus conſtitui neceſſe eſt: quare quid intereſt, an hoc ita ab initio ſit, an unus plures rebus gerendis præficiat?* Quem tamen tam male accepit locum, quaſi id dicat

Ariſtoteles: tantum juris eſſe regi in ſenatum ab initio conſtitutum, quantum in eum quem ipſe conſtituerit. quod tam procul à mente ejus eſt, ut ne per ſomnium quidem cogitaverit. Diſputat enim meliuſne ſit legem an hominem, unum an plures ſummæ reipublicæ præeſſe, ac illud quidem parum referre videri, an initio, hoc eſt à legiſlatore, magiſtratus præficiantur certi, an à rege; ſive hic eos creet, ſive ille creaverit, neceſſario utrobique creari nec aliter geri remp. poſſe. Quare cum in omni imperii genere tantum alienæ fidei committendum ſit, non aliter evenire poteſt, quam ut iiſdem poteſtas tradatur iis interdum abutendi, & iis maxime quibus multum committitur in tali rerum ſtatu qui inviſus eſt. Odium enim rerum præſentium, & novarum rerum cupido, & vitia hominum veræ mutationum converſionumque publicarum cauſæ ſunt, non leges & jura; disjunctio animorum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

non poteſtatum diſſimilitudo. Illa tu mihi tollas oportet, quæ multo magis infeſta ſunt in tyrannide, quam in ullo genere legitimæ reipublicæ: quare & parum plerumque durabilis eſt. Neque enim putet quiſquam, quod perennia vulgo & diuturna ferantur eſſe regna, minus ea cum malis inteſtinis conflictari. Ferunt illa & tulerunt omnibus ſeculis maximas rerum ſurſum ac deorſum euntium viciſſitudines, concuſſa ſunt civilibus furiis & agitata; ſed tandem poſt multa mala, ſæpe mutatis dominis, (& utinam non hæc oculis noſtris videremus) dominationem non mutavere, & quod facillimum eſt, in peſſimum ſtatum, eaſdemque tenebras, corruptaque turba in corruptam formam, facilè reciderunt. Nam illi profecto ridiculi ſunt, qui humanum animum, de quo vitia non ſuſtulerint, ut figuras in pulvere mathematico, ceu radio deſcribere ſeſe poſſe & ad certum omnia redigere putent;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

perſuaſuri ſcilicet populo, regi licere quicquid collibitum ſit. Parthorum regi licebat, quicquid libuiſſet. an minus crebris ſeditionibus infeſtatum & quaſſatum regnum? nec mirum: humana iſta, falſa & ab hominibus ficta eſt opinio. cum etiam illas excutiant ſæpe homines quæ veræ ſunt, & à natura profectæ, & à Deo traditæ. Judæis unius Dei honos & cultus ab ipſo traditus Deo, graviſſimiſq; ſancitus ſuppliciis fuit: quotiens tamen immutato non tantum ritu & more ſacrorum, ſed ipſo quantum in ipſis fuit Deo, ad gentilium ſectas deſciverunt? Quid ſanctius? quid divinius? quid verius Chriſtiana religione? Invenit tamen (proh pudor & ignominia generis humani) Muhammedes populum ſuum, quem non tantum ad diverſas vitæ rationes, ſed etiam ad opiniones de Numine impias, ineptas & ridiculas traduceret, niſi quod ſuperſtitio vel ridicula miſeranda eſt. Quod ſi opiniones

niones veritate ſtabiles, religionibus ſanctæ, vetuſtate robuſtæ, quas cum lacte materno imbiberunt homines, ubi earum pertæſum eſt, ex animis ſæpe evelluntur, an tu illam tandem perſuaſionem, quæ & iniqua & falſa & indigna & intolerabilis eſt, putas te infigere ita in ſenſibus communibus poſſe, ut male habiti homines non cum illa & inſolentes dominos & importunam dominationem excutiant? non poteris, non ſi ex nugis & cavillationibus & ſerviendi libidine conglutinatus ſis. Vis tu ſociare homines? fac eos dignos ſocietate. vis concordem & vere unam civitatem? uni eam & vinci ratione. Una ſit oportet reſpublica, non unus homo; in quo tamen ipſo animus aliter affectus habet, aliter corpus reliquum. Una ſit reſp. ſed non una familia, non una domus; quamvis & in domo alio jure uxor, alio liberi, alio ſervi vivant. Concors ſit civitas ſed non bruta, non cæca, non impia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

pia, ſed juſta, ſed legitima, ſed prudens, & cum quadam moderata diſcordia concors: qualis concordia in muſica pulcherrimum facit concentum (Heracliti eſt: τὸ ἓν διαφερόμενον αὐτὸ αὐτῷ ξυμφέρεσθαι, ὥσπερ ἁρμονίαν τόξου τε καὶ λύρας. Plato convivio p. 187.) & qualis in omni rerum natura eſt, in qua ſine quadam diſcordia, ut cenſent phyſici, nec motus ullus, nec generatio foret. Ovid.

— Vapor humidus omnes
Res creat & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

Quanquam illud quidem negari non poteſt, difficile in primis & arduum eſſe (quid autem egregium non idem arduum?) optimam hanc & ſanctiſſimam diſciplinam & temperationem conſtituere: inter malos quidem conſtitui non poſſe, aut *ſi forte evenerit* (ut dixit Tacitus) *haud ſere diuturnam eſſe.* corruptos enim populos & duces mille quotidie cauſæ collidunt, milleque cavillationes: unde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

unde conſenſu ſtudiiſque & voluntatibus ordinum divulſis, partes; & diſtractis in duas partes omnibus, reſpublica media ſolet dilacerari. *Moderatio libertatis, in difficili eſt*, ait Livius: cum æquari velle ſimulando ita ſe quiſque extollit ut deprimat alium; cavendo ne metuant homines ultro ſe metuendos efficiunt, & injuriam à ſe repulſam, tanquam aut facere aut pati neceſſe ſit, injungunt aliis. Quid mirum? * cum ne ulla quidem inter privatos amicitia ſine probitate morum, nulla concordia ſine certis & iiſdem ſententiis poſſit eſſe. Bonis enim moribus omnis libertas ſubſiſtit; ut vere de Roma ſua Ennius:

Moribus antiquis ſtat res Romana viriſque.

Dum enim ſanctus ille & ſimplex vitæ color ſervabat patrium honorem, ſtabat vere reſpublica, libertatiſque & legum non ſola nomina placebant.

tum

* *Thucyd.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tum ſi qui forte magiſtratuum per turbas creſcere, & majorem ſibi, quam per leges licebat, autoritatem parare conabantur, quanquam ſpecie virtutis dulciſſimis vitiis graſſantes, pravis auſis facile exciderunt. Documento fuerunt Sp. Melius, Sp. Caſſius, M. Manlius, qui ut incidêre in ſuſpicionem regni appetendi, maturum ſibi exitium arceſſiverunt. At poſtquam inverſis moribus, illa terre victrix victa eſt & ſubacta à vitiis & flagitiis ſuis, jam libera ſervire cœpit, & ne traditam quidem ac inculcatam libertatem potuit accipere. Neque enim corruptus populus duces priſci & integri moris, ſed corruptiſſimos quoſque ſui corruptores & homines, in evertenda republica populares ſequebatur: his immodicos honores, poteſtatem ſupra leges & imperia extraordinaria ex libidine committebat, pretium ſcelerum eorum, quibus certa legibus mors & ſaxum Tarpejum erat propoſitum.
Sic

ſic elapſa è manibus bonorum, ſimul & legum vinculis ſoluta reſpublica brevi eo redacta eſt, ut ſalva eſſe non poſſet niſi beneficio ſervitutis. Ergo illo morum rerumque tempore imperium legum non poteſt eſſe, nec plures capit, & eſt verum illud quod Curio dixit Cæſari:

—— Partiri non potes orbem,
Solus habere potes. ——

Non tamen ideo contemnenda hæc eſt forma reipub. quod illa ſæpe intereat per vitia hominum, quando nulla non ab vitiis in præceps datur: ſed eò magis hoc agendum eſt legislatori, ut bonis & ſanctis moribus inſtituantur cives, ut prudentia legum contentionum quantum poteſt anſæ auferantur, ut non hoſtes tantum ſed etiam hoſtiles opiniones amoveantur. ſic imbuendus populus, ſic circumſcribendi magiſtratus, ut ſeſe aliter ſervare non poſſint, niſi ſervatis legibus. Nam cætera quidem ejus incommoda non tantum penſantur

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſed vincuntur longe bonis aliis, quicquid illi contra leges effutiant qui tyrannidi favent. quorum quidem nihil jam olim ignotum viris ſapientibus, ſed omnia rejecta fuerunt. Adducit multa Plato in libro qui ὁ Πολιτικὸς inſcribitur contra legum poteſtatem ut iniquam & duram. *Perpetuum eſſe quendam orbem rerum humanarum, conſtantem inconſtantiam, ut vix diu eodem loco ſint; magnam hominum, locorum, temporum, actionum diſſimilitudinem; leges certas & unas iis minime convenire. Etenim cum res aliæ aliud poſtulant, leges, inſtar pertinacis & pervicacis hominis, quæcunque ipſis non placuerint conſilia reſpuere & rejicere, id unum agere, id velle, jubere, ut omnes ſibi dicto audientes ſint: ita more tyranni dominari. Quod ſi quis medicos, impoſitis legibus medendi, naturam, cauſas morborum & herbarum poteſtates ſcrutari & cuique malo convenientiſſimum præſentiſſimumque auxilium vetet afferre, magno id artis me-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

dicæ detrimento & ægrotorum periculo prohibeat. adde jam, ſi quis veram medendi rationem & arcana quædam artis patefecerit, ut is trahatur in judicium, accuſetur ut ſophiſta & juvenum medicorum corruptor, denique quod morbos contra leges depulerit ſummo mactetur ſupplicio, id quidem longe iniquiſſimum & pernitioſiſſimum fuerit. Vel ſi qui populus ad rem maritimam non paratos & exercitatos, ſed quos ipſi viſum, deligat, hiſque rem nauticam non ut tempeſtatum ventorumque ratio, ſed ut leges jubeant, obire juſſerit, ars profecto gubernatoria & omnis navalis diſciplina magnum faciat naufragium. Non aliter, in civitate ſi quis illos publicos gubernatores, illos animorum morumque medicos non ratione & ſcientia, ſed ex legibus omnia gerere velit, iniquum & pernitioſum videtur. Quod ſi tamen, ut in iiſdem verſemur ſimilibus, medicos prætextu artis veneno intercipere ægrotos, aut ſanæ parti corporis, veluti carnifices, ſcalpellum adhibe-

hibere; gubernatores quos vehant ſpoliatos in mare projicere, aut piratis vendere conſtiterit, niſi legibus coërceantur, minus profectо malum fuerit utroſque ad legum præſcriptum omnia gerere. ita quoque in civitate, etiamſi optimum fortaſſis non ſit ad leges pleraque revocari, tolerabilius tamen & longe melius eſt, quam magiſtratus omnia ex libidine adminiſtrare: cum irritent ſe impunitate & licentia flagitia & ſcelera hominum, & in ſingulorum & omnium pernitiem plerumque graſſentur. Nam ſi ſoli peccarent cives, & tales eſſent moderatores reipublicæ, quales eos fingunt ſapientes, tantumque dignitate & meritis quantum poteſtate & honore cæteris præſtarent, eos equidem, ut Deos inter homines, non ulla hominum hoc eſt deteriorum lege teneri (lex enim ſibi ipſis optima eſſent) non ulla re pares eſſe (natura enim eſſent potiores) ſed liberrima cum poteſtate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

omnia adminiſtrare, tam invitis quam volentibus, tam ditibus quam pauperibus leges dare conveniret: ac ſic quidem omnis de conſtituenda & regenda republica cura aliis eſſet omittenda. Sed non ea eſt rerum humanarum felicitas, ut commentitii iſti & ficti in libris principes cælo demittantur, nec *inter homines*, ut ait Plato, *quemadmodum inter apes, animi corporiſque dotibus ſingulares ad imperium viri naſcantur*; immò contra potius, qui rerum in civitatibus potiuntur ad tribunal & faſces veluti ad auream meſſem aut vitiorum alimenta ſuorum accedant, aut, ut bene cum civibus agatur, tanquam hiſtriones ad theatrum ſe componant, larvæ maximam partem & ſpectra potius quam homines, ſimiæ ineptæ, præſtigiatores maximi & σοφιστῶν σοφισταὶ. Quid enim ſincerum? quid verum? publica omnes præferre videas, ſua agere, honeſtè loqui, flagitiosè vivere: plane quaſi in ſimulatio-

latione omnes inſint virtutes, & ars eadem ſit regnandi & mentiendi. Etenim ſive protrahantur licentia & poteſtate peccandi occulta vitia, ſive corrumpat eos inſolentia dominatus & id genus hominum, quos *non igne, non aëre, non ferro*, ut ille ait, à potentibus arceas ut ne eorum aures obſideant eorumque libidinibus lenocinentur, illos qui in magna potentia ſunt difficulter ſe in regionibus officii continere, & cum poſſint quod velint, fere velle quod non licet, ſatis conſtat. Quapropter veterum ſapientiſſimi optimam hanc eſſe temperationem civitatis uno ore conſentiunt, in qua leges rerum potiantur & mixta ſint civitatum genera, & ſummum merumque imperium nullum. quicquid vitiis non potuit, poteſtati fuit detrahendum. Plato *duas eſſe rerumpublicarum velut matres* cenſet *regnum & popularem adminiſtrationem, ex quibus cæteræ formæ natæ, ex utriſque mixtam debere eſſe optimam ci-*

vita-

vitatem. Laudat autem in primis Lacedæmonem ut legibus optime conſtitutam, & Syracuſanos expulſo Dionyſio ad ejus exemplum formare civitatem jubet. *Oſtendiſſe enim Lycurgum, poſſe ita temperari rempublicam, ut lex ſit regina hominum, non legum homines tyranni.* *Et quidem nihil adverſus libidinem regum ſalubrius, nihil ad æternitatem reipublicæ utilius eſſe. Dimidium enim, ut ait Heſiodus, plus toto eſſe: hoc eſt, moderatam poteſtatem plus quam immodicam; quando moderata durent, immoderata haud fere ſint vitalia.* itaque *Theopompum,* (quem σωτῆρα vocat Plato) *rectè reſpondiſſe,* ait Ariſtoteles, *increpanti uxori, quod inſtitutis Ephoris & velut regno oppoſitis, imminuiſſet majeſtatem & jus regni; ſe vero auxiſſe, quando quantum poteſtati detraxiſſet, adjecerit æternitati imperii. Præterea mera imperia conſtituere bonum legiſlatorem* Plato vetat: *quod tria debeat ſibi proponere, ut libera, ut amica, ut prudens ſit civitas, quorum neu-*

trum poſſit cum infinita poteſtate ſubſiſtere, nec ſine altero alterum. Nam quæ libertas illic poteſt eſſe, ubi non ſumma rerum penes leges, ubi hominum libido pro lege eſt? quæ vero ſine libertate amicitia? quæ *inter eos*, ut ait Plinius, *quorum alii ſibi domini, alii ſervi videntur?* habent amicos qui ipſi amici ſunt: neque enim ut alia ſubjectis ita amor imperatur; neque eſt ullus affectus tam erectus, liber & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat.* *Nihil*, inquit Ariſtoteles, *in tyrannide aut parum loci amicitiæ relictum eſt: ubi enim nihil commune cum ſubjectis imperanti, nulla eſt amicitia, quia nulla communitas. tantum enim juris & amicitiæ eſt, quantum artifici cum inſtrumento, animo cum corpore, domino cum ſervo.* At debet magiſtratui cum civibus ut cum hominibus æqualis quædam & vera eſſe amicitia: *gaudetque civitas*, ut dixit idem, *quantum poteſt æqualitate. inter æqua-*

* *Ariſtoteles de moribus l.* VIII.

æquales verò & pares neque utile neque juſtum eſt unum omnem poteſtatem tenere, neque ſine lege neque ex lege, neque unum bonum in bonos, neque unum minus bonum in minus bonos, ne virtute quidem præſtantiorem, niſi certo quodam modo, hoc eſt limitato & finito jure. Sed quid ego hominum autoritatibus & teſtimoniis utor, ut probem optimam & probatiſſimam hanc eſſe ſocietatis ſpeciem, cum Deus Optimus Maximus ante cæteros legiſlatores dederit leges æternas & immutabiles, eamque civitatis formam, in qua leges ſine exceptione in omnes, nemo in leges imperium haberet, in Judæis inſtituerit, & ut longe excellentiſſimam & ſibi acceptiſſimam oſtenderet, præclaro libertatis titulo, *ſe in ea regem eſſe, ſe dominari,* non ſemel dixerit. Itaque & cum populus pertæſus optimi imperii regem dominum poſtularet, *non te,* dixit Samueli Deus, *ſed me dereliquerunt, ne regnem ſuper eos.* Et Samuel ad popu-

lum, *petiſtis vobis regem, cum Dominus Deus veſter regnaret in vobis.* Joſephus: Οἱ μὲν μοναρχίαις, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων· ὁ δ' ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, ὡς δ' ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον, θεοκρατίαν ἀπεῖπεν τὸ πολίτευμα. *Hi uni, illi paucis, alii multitudini ſummam remp. permiſere, at noſter legiſlator eam rempublicam inſtituit in qua ſummum imperium Dei eſſet.* Quanquam quidem Hebræorum reſpublica ſuo quodam jure Dei civitas, ut populi qui in ſingulari Dei fide erat, qui verè Dei populus, qui à Deo leges acceperat, cum quo ipſe Deus fœdus inire dignatus erat: convenit tamen iſtud nomen & à veteribus tribuitur omnibus civitatibus in quibus juſtæ & ſanctæ leges ſummam rempublicam tenent, neque homines ex libidine dominantur. Plato, libro de legibus quarto, *jubet*

nos

nos civitati, ſiquidem illa ab imperantibus formam & nomen ſuum, ut ſolet, trahere debeat, indere non hominis unius, non paucorum, non multitudinis, ſed ipſius Dei nomen. Hanc enim veram & beatam rempublicam, hanc ſolam eſſe, quæ malorum & laborum habeat vacationem, in qua Deus rerum potiatur; Deum autem rerum potiri, ubi leges & illa pars quæ in nobis divina regnet. Idem epiſtolâ ad Dionis familiares: Δουλεία καὶ ἐλευθερία, ὑπερβάλλουσα μὲν ἑκατέρα, πάγκακον· ἔμμετρος δ' οὖσα, πανάγαθον. μετρία δ' ἡ θεῷ δουλεία· ἄμετρος δ' ἡ τοῖς ἀνθρώποις. θεὸς δ' ἀνθρώποις σώφροσι, νόμος· ἄφροσι δ', ἡδονή. *Servitus & libertas immoderata ſummum malum, moderata ſummum bonum. moderata vero ea quæ Dei ſervitus eſt, immoderata quæ hominum. Deus quidem ſapientibus lex eſt, inſipientibus voluptas.* Ariſtoteles: ὁ μὲν τὸν νόμον (ita enim legendum ubi vulgo τὸν νοῦν) κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τὸν νοῦν (hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

malè legitur τὸν νόμον) ὁ δὲ ἄνθρωπον κελεύων, προστίθησι καὶ θηρίον. *qui legem jubet imperare*, Deum *& mentem præponit : qui hominem, & feram.* Æſchines: ἐν τοιαύτῃ πόλει, ἣν οἱ θεοὶ καὶ οἱ νόμοι σώζουσι· *in ejuſmodi civitate, quam Dî & leges cuſtodiunt.* Livius etiam *legem* & *hominem* opponit, ut Ariſtoteles & alii veterum. Romani etiam poſtquam aſſerta libertate publica ſe neminem paſſuros regnare juraverant, regis auguſto nomine ſolum Jovem dignum cenſuerunt. Unde & Cæſar, cum Lupercalibus Conſul Antonius fatale illud ipſi & Romæ diadema ſæpius capiti ejus admoviſſet, rejectum in Capitolium Jovi Opt. Max. miſit, *illum ſolum* dictitans *regem eſſe Romanorum.* Nec iſta profecto immerito. Lex enim eſt tracta à numine ratio, aut potius primis hominibus ab ipſo numine data. Quod ipſum & gentiles viderunt, qui primis legiſlatoribus contubernium & ſocietatem Deo-

Deorum affinxêre; ut Minoi, quem Homerus novem per annos Jovis ὀαριστὴν fuiſſe & ab eo accepiſſe affirmat quas traderet mortalibus leges. Quippe qui juſtitiam, quâ imperia à latrociniis, homines à feris differunt, retinuerunt in terris, aut terris reddiderunt, rem maxime ſanctam & divinam præſtitiſſe, & imperia & judicia Deo demum digna feciſſe exiſtimaverunt. Lex, ut Deus, non accipit perſonas, ſed omnibus eadem eſt, & ut dixit Ariſtoteles, ἄνευ ὀρέξεως νοῦς ἐστι· *mens eſt affectibus carens.* Lex immutabilis & immobilis, ut ipſum ſummum illud numen, omnia regit. Unde autor libri de Mundo, *in mundo Deum eſſe quod eſt lex in civitate* dixit, *& ſimili ratione mundum adminiſtrare*, ut vertit Apuleius. Dei nec triſtis nec oneroſa eſt imperii ſui cura. namque nobis circumfert & regit cunctas formas natura, quaſi diverſis regionibus commovens: ut eſt lex civitatis ſemel promulgata,

perpetuis obſervationum rationibus fixa, ipſa quidem immutabilis; at ejus arbitrio parentium mentes agitantur nutuque ejus & dominatione flectuntur. Præterea cum hujus civitatis ſalus omnis in bonis caſtiſque moribus, ut in quibus vis bonarum legum vertitur, Deo autem nihil acceptius, nihil magis cordi & curæ in terris, quam concilia & cœtus hominum certo jure ſociati & adverſus vitia conjurati, merito Deus regnum tenere dicitur, ubi penes bonas & ſalubres leges ſumma rerum eſt. Eant nunc paraſiti, & de lapide empta mancipia & dominationem cælo æquent, dominos quos reges vocant, Dei vicarios, Deorum gentem & ſanguinem, atque adeo Deos quoſdam mortales jactitent. in libertate non Dei miniſtri (quanquam non magis regum quam magiſtratuum ſunt iſta nomina in libera civitate) ſed ipſe Deus, non Dii quos ſibi fecerunt adulatores, ſed ipſe qui fecit o-

mnia, conditor, ſtator & ſtabilitor omnium rerum; non reges, ſed rex regum & Dominus dominantium, ille qui vere eſt & unus eſſe debet infinita cum poteſtate, ſummæ reipublicæ præeſt. Eant ſophiſtæ & præferant domino ſervum, Deo hominem; negent hunc optimum eſſe ſtatum & temperationem & regimen communitatis; nos interim Deo & legibus permittant: illorum felicitati non invidebimus. At enim prima in terris regna fuerunt & quidem libera. Quid? ergo omnia optima & perfectiſſima quæ fuerunt prima, & non potius fuit rerum adhuc naſcentium pueritia quædam & immaturitas antequam adoleſceret? quin ſoluti ergo & diſperſi & diviſi in ſegreges familias vivimus? quin in antris & ſpeluncis & denſis nemoribus habitamus? quin foliis aut pellibus veſtimur? quin glandibus tantum & victu ferino vitam propagamus? primi enim mortales illud feciſſe legun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tur. An vero in vita privata & domeſtica melius, commodius & cultius quid inveniri potuit? in πολιτείᾳ, quæ eſt civitatum vita, nihil profici, nihil uſus rerum, nihil longa dies, nihil cura & meditatio ſapientum, nihil ipſa denique fortuna docere potuit? ſtultitia eſt iſta & ſuperſtitio, neſcio quæ, non ſapientia, non reverentia majorum, omnia, præſertim ea quæ arte inſtituta ſunt, ſine judicio & diſcrimine ad ultimam antiquitatem velle revocare, nec probare potiora, quia poſterius excogitata ſunt & inventa. Medicinam non ideo minoris facimus, quod poſt morbos. & ex morbis ejus nata eſt ſcientia. leges repudiabimus bonas quia ex malis moribus & poſt vitiorum morbos ortæ? Nulla ars inventa ſimul & ad ſummum perducta. Sola igitur prima lineamenta & futuræ artis primordia retinebimus? Omnia remedia malis poſteriora: quæ ſi aſpernari lubet, prius mala tol-

las

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

las & hominum mores in integrum reſtituas oportet. Equidem cum poſteriora quoque ſecula multa laude digna inveniſſe & feneſcendo humanum genus diſcere videamus, inſani ſit, omnia ſine diſcrimine nova rejicere. Equidem ſi viri illi qui olim vixerunt ſanctiſſimi & amantiſſimi poſteritatis, ab inferis exiſterent, damnarent hanc ipſi pertinaciam, & omnem ſui memoriam intercidiſſe, quam ſe publicæ felicitatis apud poſteros facta eſſe impedimenta mallent, ſe enim optima quæ noſſent, optima quæ ferret illa ætas, quæque illis moribus convenire viderentur ſecutos, non quæ prima fuiſſent, conteſtarentur, ſi qui ſe imitari velint, non tam facta ſua, quam voluntatem recti generis, quam ſtudium & pietatem in patriam imitari debere: hanc veram erga ſe pietatem & religionem, veram ſui conſecrationem eſſe. Sequi nos decet antiquitatis judicium, ſed cum judicio & cum ra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tionè, ut nobis quoque jus cenſendi ſit, ne antiquitatem imitando, noſtri obliviſcamur, & priſcos mores colendo, contra mentem eorum agamus, & in ipſos quos imitamur peccemus. Sed quid ego hæc moneo, cum contra ad hos ipſos judices provocare deberem & hæc falſa eſſe revincere? Falſum enim & plane à veritate alienum, tam regna ubique prima, quam ea quæ fuerunt prima imperia, cum iſta ſine fine poteſtate fuiſſe. Primum enim & tempore antiquiſſimum, quod neque ratione colligere difficile eſt, & Moyſes teſtatur, viri in uxorem fuit imperium; quod profecto unum temperatiſſimum eſt, conjugium & ſocietas æqualis magis ſua natura quam inæqualis. Primum enim ubi Deus fæminam non minus quam virum integram & puram vitiorum fabricaverat, dixit, ut eſt apud Moyſem, *ſe illi ſociam* (ſeu *adjumentum*) *adjunxiſſe*: at mox ubi excuſſa Dei obedien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

dientia ſe vitiis & quidem prior fæmina inquinaverat, & jam inter vitioſos æqualis ſocietas eſſe non poterat, tum demum Deus uxorem juſſit viro ſubjectam eſſe, virumque uxori imperare. non tamen ſervili imperio eam habere juſſit, quippe parem, ſed ut de eo conſentiunt ſapientes, & eos ſecuta jura Quiritium, libertati proximo. non enim in ſervitio, *ſed in manu & tutela haberi uxorem, & ſuſtinere conditionem liberæ ſervitutis*, & Verrius opinor Flaccus, *poſtero nuptiarum die, nuptam libertatem uxoriam auſpicari* dixit. Quid? quod ſacra illa nuptiarum, thorus genialis, juſta Venus & amor, quibus una anima in duobus vivit corporibus, communes liberi, interioris vitæ conſortium proſperarumque & adverſarum rerum ſocietas arctioribus caritatis vinculis animos conſtringunt, quam ut durum & grave id poſſit eſſe imperium: adeo ut in alteram potius partem peccetur à no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

bilioribus & fortioribus populis, & nimium uxoribus indulgeant, quod de Romanis Cato dicebat, *ipſos omnibus gentibus dare leges, ſed ipſis uxores.* Quod ſi quis tamen tam ferino animo ſit ut in gratioſum & dignum amore ſexum ſævus ſit, jura non marito ſolum ſed etiam uxori jus divortii dederunt. Apud Hebræos id quidem huic non licuiſſe volunt magiſtri, Salomenque uxorem Coſtobari id ſibi primum contra morem ſumpſiſſe ut viro libellum repudii mitteret: non tamen ideo ſervilis fuit, ut multis probari poſſet ſi opus eſſet, ejus conditio. Itaque & Apoſtolus in tali caſu, *ſi non novo ſe conjugio irretire, ſecedere tamen non vetat:* & multis laudat Saram *quod Abrahamum dominum appellarit.* in quo nihil magnopere laudandum, ſi quidem illa ancilla conditione, nec modeſtiâ ultra quam leges juberent viro conceſſiſſet. Alterum imperii domeſtici genus quod eſt parentum in natos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tos, habet profecto ob infinita beneficia magnam religionem, & ſanctiſſimum eſt. Jure tamen naturæ, ubi in ætatem venerint liberi, autoritas magis quam poteſtas. unde Jureconſulti *patriam poteſtatem non omnium hominum ſed civium Romanorum eſſe* cenſent; & *emancipatos liberos deſinere eſſe in poteſtate patris*, quod non poſſent, ſi è natura illa poteſtas eſſet. Filia etiam poſt annum vigeſimum quintum ceſſantibus parentibus nuptias faciens inſons eſt jure Romano. Adde quod jure naturali per ſe quidem, niſi id alia cauſa prohibeat, ſecedere filiis, ducere uxorem & relinquere patrem licet. Dei enim illud effatum fuit, jam ſtatim poſt conditam fœminam incorrupta & integra natura; *deſeret homo patrem & matrem ſuam, & uxori adhærebit.* Atqui præter hæc domeſtica imperia, per tot ante diluvium ſecula, nullum fuit. diverſi & diſcreti in ſegreges familias uxori pro ſe quiſque & liberis

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

conſulebant, boves tantum & jumenta ſervili imperio exercebant. foris cum nec agrorum inopia nec tot vitiorum fomenta (nec irritamenta malorum) eos collidere, boni mores & majorum reverentia omnes facilè in officio retinebant. Quid ergo? ubi paterfamilias in patremfamilias imperium non habet, ubi ſuam quiſque domum moderatur, ubi ſola in familia regnum & principatus, nonne illic publica eſt libertas, nonne populare imperium, quia omnes pares ſunt, aut potius optimatum, quia pro optimis ſunt patres? Ac tale quidem imperium ipſa natura inſtituit in multitudine, ut primum convenêre, antequam ſe in alienam ditionem ſubjunxerunt homines, ut primum fuiſſe nemo dubitare poſſit. Ejuſmodi & illis ultimis poſt diluvium temporibus genus ſocietatis ſub Saturno fuiſſe veteres memorant. nemo enim ſervus aut dominus, omnes propinqui & pares habi-

habiti: ideoque & Saturnalibus, non tantum libertatis ſed etiam imperii quadam imagine, in cujus vicibus ſolet conſiſtere publica libertas, ſervis accumbere cum dominis, qui iis famulabantur, indui dominorum veſtimentis, * *gerere in domo honores & jus dicere* permiſerunt, *rati domum puſillam quandam rempublicam eſſe.* Unde judicat Plato, *illud genus civitatis verius optimum quam regale fuiſſe.* Qui ut nos doceat, qualia quamque juſta & moderata & beata tum imperia fuerint, narrat fabulam ejuſmodi: Saturnum, quod impotentiam, libidinem & injuſtitiam humani animi penitus noſſet ac introſpexiſſet, hominibus in homines imperium tradi minime è re humana putaſſe, ſed ut homines caprarum ſeu ovium gregi non capram aut ovem, ſed hominem utpote potiorem & præſtantiorem præficiunt; ſic hominibus non homines, ſed eminentioris & divinioris naturæ genios im-

* *Seneca.*

po-

poſuiſſe, qui humanæ ſalutis amantiſſimi ad concordiam, libertatem, juſtitiam omnes & ſingulos erudierint, pulſiſque & devictis illis malis quæ turbandis cœtibus ſunt, altum & pingue otium, ſummamque beatæ vitæ facultatem præbuerint. Hujus fabulæ involucro adumbrans, illo ſeculo communia omnia & indiviſa velut unum patrimonium, ditumque & pauperum, ſervorum & liberorum, quæ deinde fortuna & hominum libido nomina fecerunt, ignota, quoque tellus ſponte hominum neceſſitatibus ſubveniſſe fertur, non plus opum fuiſſe ſed minus cupiditatum & vitiorum: neque homines, ſed illam quæ eſt Dei ſimillima pars mentem bonam & rectam rationem in iſtos antiquos & à Deo recentes homines imperium tenuiſſe. Nam cum injuſta & prava non appeterent, non erat quod iniquis imperiis coërcerentur: cum ſuæ quemque conſcientiæ reverentia, quum pudor

re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

retineret, nihil aliena inquiſitione, nihil lictoribus, nihil terrore opus erat; quum ſibi imperarent, nihil poteſtatibus judiciiſque ſeverioribus indigebant: ſed ſumma erat poteſtas, recta & honeſta ſuadere, ſummum judicium, laudare rectè & ordine facta. Itaque neque timebant homines, neque timebantur, ſed ſine dominis & criminibus in vera & abſoluta libertate beati & ſecuri, *ut Dii*, quod ait Heſiodus, *ævum agitabant*. Et illi ipſi qui illud regnum fuiſſe cenſent, principatum verius quam regnum, niſi quod verum regnum principatum eſſe cenſent. *Erat enim aureo illo ſeculo*, ut Poſidonium recte judicaſſe teſtatur Seneca, *penes ſapientes. Hi continebant manus & infirmiores à validioribus tuebantur: ſuadebant diſſuadebantque, & utilia atque inutilia monſtrabant. horum prudentia ne quid deeſſet ſuis providebat; fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat ornabatque ſubjectos. Officium erat im-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

imperare non regnum. Nemo quantum poſſet adverſus eos experiebatur per quos cœperat poſſe. nec erat cuiquam aut animus in injuriam aut cauſa: cum bene imperanti bene pareretur, nihilque rex majus minari malè parentibus poſſet, quam ut abiret è regno. Heroicis quoque temporibus, propiora libertati regna fuiſſe obſervat Ariſtoteles, *quod ille heroum ſemideorumque exercitus in rebus militaribus Agamemnoni dicto audiens tantum fuerit; in conciliis & concionibus tantâ plerumque uſus libertate dicam an licentia, ut ne maledictis quidem & conviciis abſtinuerit.* Quid ille Thetidis filius erepta ſibi Briſeide ſua, nonne *ebrietatem Agamemnoni, nonne caninos oculos, nonne animum cervi objicit?* non δημοβόρον appellat *qui viliſſimis imperet?* non omnibus inceſſit convitiis? inceſſere dico convitiis? imo ſtricto ferro jus poſtulabat, & illum regum regem invadebat, niſi delapſa repente cælo Minerva interceſſiſſet? *Princeps ipſe,* in-

inquis, *& injuratus militabat.* at hoc ipſum mihi libertatis eſt argumentum: quanquam nec cæteri parum liberi, neque ſeditioſi gravi pœna affecti fuerunt. Quæ quanquam fabuloſa & compoſita, non tamen libera ea tempeſtate fuiſſe regna, quâ legibus non videbantur adſtricti imperantes (*legum enim nullam in Homero mentionem* obſervat Fl. Joſephus) ſatis probant. Mores enim conſuetudineſque jam olim ab natis hominibus, etiamſi tabulis non inciſæ nec monumentis conſecratæ, imperium ſuum tenuerunt. *In Græcia ſero demum, poſtquam divitiis & omni rerum affluentiâ corrupti mores, tyrannides exſtitiſſe, & inprimis Spartam jam ab initio liberam fuiſſe*, autor eſt Thucydides. regnaque quæ illic heroicis temporibus fuere, *in volentes populos & ad certas & præfinitas res fuiſſe*, tradit Ariſtoteles. In Italia antiquitus, ut de Euandro memorat Livius, *reges autoritate magis quam imperio pol-*

luc-

luerunt. Idem confirmat Virgilius. In Germania & Galliis quod ejuſmodi olim imperia fuerint ex Cæſare & Tacito notiſſimum eſt. Regnum Romanum initio *conſervandæ libertatis & legitimum fuiſſe* Salluſtius, *Servium Tullium leges ſanxiſſe quibus etiam reges obtemperarent* Tacitus teſtatur. Cicero *ſub regibus jam tum provocationem ad populum, ſuam quoque ſenatui autoritatem fuiſſe* memorat. Sub Anco Marcio non niſi conſenſu ſenatus & juſſu populi bella indixiſſe Romanos ex ea, quæ eſt apud Livium, *formula* apparet. Apud Macedones capitis judicia penes populum, in bellis etiam penes exercitum ſeu populum militarem fuere. Hæc tu ſi fateris (quid enim in rebus ſæpius & à multis dictis inſolens ſim & ineptus?) optimatium imperiis prima illa imperia ſimiliora fuiſſe, officium fuiſſe imperare, ſuum concionibus de ſumma republica deliberandi jus fuiſſe, imperia unius ad certas res & qui-

quidem volentibus leges dediſſe, autoritate magis ſuadendi quam poteſtate jubendi conſtitiſſe, judicia capitis, provocationem, jus belli & pacis & ſimilia antiquitus jura populi fuiſſe; hæc ſi, inquam, fateris (& quî potes negare?) per me licet obtineas prima in terris regna fuiſſe. regna enim illa antiqua & vera ita diviſa fuerunt, ut non plus juris reges in populum quam populus in reges habuerit, & illud fuerit primum in terris civitatis genus quod optimum eſſe veteres dixerunt. Nam etiamſi non ita diu poſt diluvium Nemrodus vixerit, homo profanus & Dei, ut tradunt Veteres, contemptor, [& ut ipſum nomen ſonat, rebellis, & ut Judæorum quidam interpretantur Moyſen, venator fortis contra Dominum,] qui jura ſibi negans nata nihil non armis arrogavit populoſque per vim ſubegit, quid illud ſodes ad reges juſtos & legitimos? Niſi forte ad jus humanum aut fraternum facit,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quod primus ex homine natus homo & primorum alter fratrum, fratricida; aut ad civium jus, quod olim inventi qui collecta ex operis & ergaſtulis manu impune latrocinarentur, imo qui dejectis & trucidatis regibus per ſacrum illum ſanguinẽ ad ſolium tranſcenderent? Id quidem agunt, id pugnant iniquiſſimi homines, ut magnus ille gentium latro primus in terris regum, hoc eſt, omnis juris regii autor & conditor habeatur: non tantum peſſimo publico tyrannidem & regnum confundentes, ſed etiam magnâ regum contumeliâ; quorum juris non alia ponunt inter homines principia & fundamenta, quam latrocinia majora & ſcelera feliciora, quam quæ vulgo ſcelera & latrocinia appellantur, eadem perverſitate ad ſuperbam Medorum Perſarumque dominationem & ſervientem Orientis partem omnia revocant. quaſi illic tantum vera βασιλικὴ ἐπιστήμη, cæleſtis illa regni forma & vera juſti im-

perii

perii effigies. At de politioribus nationibus, de Judææ, Græciæ, Italiæ & totius præterea Septentrionis libertate, quia illic ſuæ regibus leges, ſua populo libertas, altum ubique ſilentium eſt. Quod ſi de iis petendum eſt jus regium qui proprie reges non fuerunt, poſſumus illis hoc ſuum reddere. quoties enim *reges* appellati qui etiam in aliena poteſtate fuerunt? Unde reges Perſarum jam olim & Parthorum *Regum Reges*. Sub Romano imperio Antiochus Tacito eſt *regum inſervientium ditiſsimus*; Lucanus:

——— Magnique tyranni
Atque omnis Latio quæ ſervit purpura ferro.

Suffetem Carthaginienſium Ariſtoteles & Polybius, Suffetem Hebræorum ſacræ literæ *reges* nominant. Sed omiſſis his qui non vulgo dicti reges; ſapientiſſimi & optimi quique veterum, principatum optimam regni ſpeciem eſſe, omnes conſentiunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Ariſtoteles, quanquam *Spartanorum regnum neget alibi proprie genus regni efficere, moderata tamen & ubi minus libera regum poteſtas, optima & maxime durabilia* ubique ſtatuit. *conſervari enim iis artibus*, quibus iſti deſtrui aiunt; *inhibito nimirum modo nimiæ poteſtati, & re ad æqualitatem & mediocritatem redactâ, ut minus penes regem juris ſit: qua de cauſa Moloſſorum & Laconum regna diutius ſtetiſſe.* Plato, *una eademque re tyrannis & ſubjectis & ſimul reipublicæ ſtabilitati & perpetuitati conſuli: ſi nimirum tyrannis in regnum legitimum convertatur.* at quomodo? fortaſſis ad exemplum Nemrodi? *ad Lycurgi*, inquit, *exemplum, qui legibus temperavit & conſervavit rempublicam.* Neque ab his diſſenſere magni illi & è grege principum regumque ſecernendi viri. Trajanus non tantum multum ſenatui tribuit, ſed & præfecto prætorio de ſe aliquod judicium permittere non dubitavit; *quem gladio, ſi benè imperaret,*

raret, pro ſe, ſi malè, contra ſe uti juſſit. Marcus Antoninus appellationibus à Coſſ. factis ſenatum judicem dabat. Tacitus imperator optimus imperium adeptus *mitti in provincias* juſſit *literas, ut ſcirent omnes ſocii omneſque nationes, in antiquum ſtatum rediiſſe rempublicam, ac ſenatum principem legere, imo ipſum ſenatum principem factum: leges à ſenatu petendas, regibus barbaris ſenatum ſupplicandum, pacem ac bella ſenatu autore tractanda.* Idem in ſenatu in hæc verba locutus eſt: *Ita mihi liceat* P. C. *ſic imperium regere ut à vobis me conſtet electum, ut ego cuncta facere ex veſtra ſententia & poteſtate decrevi. Veſtrum eſt igitur ea jubere atque ſancire quæ digna vobis, digna modeſto exercitu, digna pop. Rom. eſſe videantur.* Et ne putes verba dediſſe; *quod ſibi negaretur, quem fratri petebat, conſulatus, multum ſenatus libertate lætatus fertur.* M. Aurelius regnum quoque legum, & populi poteſtatem agnovit; *cum legem non*

 ſe

ſe dominum, ſeque in ædibus ſenatus populique Rom. dixit habitare. Tiberius apud Dionem: ὅτι δεσπότης μὲν τῶν δόυλων, αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρατιωτῶν, τῶν δὲ λοιπῶν πρόκριτος εἰμί. *Et apud* Suetonium: *bonum & ſalutarem principem, quem vos tam libera poteſtate inſtruxiſtis, ſenatui ſervire debere, & univerſis civibus ſæpe, & plerumque etiam ſingulis: neque id dixiſſe me pœnitet, & bonos & æquos & faventes vos habui dominos & adhuc habeo.* Hæc de optimo imperio præſtantiſſimi philoſophorum, &, ne putes Græculorum tantum & otioſorum commenta, optimi principes ſenſerunt, & quidem poſt Auguſtum legemque regiam, qua poteſtas in principem tranſlata: ut nemo dubitare poſſit, eos maxime laudabilem civitatis ſtatum hanc juſtam poteſtatem, & quantumvis mixtum & temperatum, quia tamen optimum, verum regnum eſſe credidiſſe. Quid ad hæc noſtri illi novi juris regii doctores? quas ebulliunt

ſapientias? quid audent contra tanta nomina? *Ipſe*, aiunt, *qui paſſus eſt ſuam majeſtatem imminui, læſæ ſuæ majeſtatis reus eſt.* Quod ergo atrocius iſto & magis nefandum inveniemus criminis nomen in eos, qui non paſſi ſunt imminui, ſed ſponte imminuerunt nimiam poteſtatem? majus enim hoc ſcelus eſt. Cujus criminis Theopompus, Servius Tullius, Trajanus, Tacitus, aliique, quos omnis ætas magnorum principum exempla credidit, poſtulandi ſunt, quod ſponte ſe legibus ſenatuique ſubjicientes de poteſtate & jure ſuo detraxerint? Vide quos re ipſa damnent iſti principes, & quales velint facile conjicies. Caligulas, Nerones, Domitianos, Caracallas & ejuſmodi monſtra, ſi conſtantes eſſe volunt, ad cælum extollant & ad imitandum proponant oportet: quando in infinitum auxerunt majeſtatem ſuam, & ex omni facto, verbo imo & nutu crimen majeſtatis fecerunt. Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

enim per ſe ſcelus imminuere ſuam majeſtatem; egregium factum erit ſi quis eam exaggeret. Sed omittamus aliquando in hac quæſtione eorum ineptias diutius perſequi, ne cum illis etiam ſimus inepti. Si enim quicquid dici poteſt congerere, ſi per gentium nationumque tam recentiorum quam veterum annales ire luberet, quid facilius foret quam laciniofo & ingenti volumine hæc eadem iterare, & probare vix duo, nedum omnia, eodem jure regna eſſe. Sed quoniam iſtuc, qui verum videre velit & intelligere, aliquam priſcarum aut noſtrarum rerum habentem notitiam neminem latere poteſt, parcimus ſupervacaneo labori, & hanc illis relinquimus Spartam, qui præclarè ſeſe defunctos putant, cum non adverſarium refutaverunt ſed lectorem fatigarunt. Neque nos tam iniquos eſſe decet, ut cum *auctor defenſionis regiæ* ſecum pugnet, ſuaſque ipſe ineptias refellat, hanc ei laudem

dem interverſam velimus. Idem enim ille qui jus regni regis libidine definit, non nobis ex hiſtoriis tantum ſed ex Ariſtotele diverſa regnorum genera adducit. quæ quo differant, ſi omnium idem jus eſt, ſi omnibus quod libet licet, ipſe viderit. Quî enim heroica illa regna ad certas tantum & definitas res fuere, quî in volentes? quî Laconica imperia tantum militaria, qualia ea dicit fuiſſe philoſophus, ſi una ubique & eadem menſura juris eſt regum voluntas? ſed iterum in ea revolvimur quæ perſequi non eſt operæ. ut enim de nomine tibi conceſſerimus, proprie hæc regna non debere appellari, quæ tantorum virorum conſenſu optima ſunt, nomen tamen regum ad eos transferri ſæpè & tranſlatum eſſe non potes infitiari. Itaque nihilominus leges, mores & conſuetudines populorum inſpiciendæ forent, antequam ex ſolo nomine de regia poteſtate poſſes decernere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Veniamus nunc ad alteram imperii ſpeciem, quam βασιλικὴν vocat philoſophus, quæ eo differt à primâ, quod illa in pares, hæc in inferiores; illa in conſortes imperii, hæc in ſummæ reip. haud participes; in eo vero convenit, quod utraque in liberos: ab herili vero diſcrepat, quod hoc in ſervos eſt; in eo ſimile, quod utrumque in inferiores. Nam regnum quoque & dominationem dividi juſtis terminis debere, ſicuti ſervitus & libertas, nullum eſt dubium. Intellexêre hoc Perſæ, qui Cyrum regem, Cambyſem dominum dixerunt. Neque nos movere debet, quod iſta ſcriptores, ſicut pleraque, ſæpe confundant, regium dominatum, & dominationem regna vocitantes, ut ideo nihil intereſſe putemus; non magis, quam quod iidem regium principatum, & principatum pro regno dixerunt. Ac regnum quidem in tyrannidem converti poſſe, & toto cælo diſtare veteres o-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

mnes conſentiunt. Hodie, opinor, ſublatum eſt diſcrimen hoc; & cum jam regibus omnia liceant, civibus eos à tyrannis diſcernere per adulatores noſtros non licet. Fatetur quidem Ariſtoteles, in barbaris eſſe quædam regia & legitima imperia, quæ multum ex tyrannide trahant; ſed in barbaris, hoc eſt, ſervis natura, quibus & utile & volentibus ejuſmodi imperium. talia Æſymnetarum imperia regia, quia κατὰ νόμον & in volentes, tyrannica διὰ τὸ δεσποτικῶς ἄρχειν. hæc tamen ipſa quæ multum ex tyrannide habent, atque adeo illa liberrima, quæ πανβασιλείας nominat, ſi præter mores conſuetudineſque nimium ſervili imperio populus habeatur, in tyrannidem mutari poſſe. Idem Plato paſſim teſtatur. Saluſtius, *imperium regium Romæ in ſuperbiam dominationemque convertiſſe*, Livius, *cum Servio Tullio juſta & legitima regna occidiſſe*, memorant. Tacitus *Tiberium*, Plinius *Domitia-*

num, nec pauci Neronem *tyrannum* nuncupaverunt. Plinius: *diverſa natura ſunt dominatio ac principatus* (puta Romanus, qui vim *regii* imperii obſederat:) *Trajanus regnum*, (quod iſtis pro *dominatione*) *quæ alia captivitas gignit, arcet, & locum principis obtinet ne ſit domino locus.* Commodum item alioſque pravos imperatores occiſos præſtantiſſimi Romanorum, atque adeo ipſe Senatus, tyrannos appellavere. Ac quidem nemo fuit bonus, qui non regem æque ſuum imperium malè gerendo quam alienum invadendo tyrannum fieri poſſe, qui non, injuſtis hominibus rempublicam in uſum remque privatam vertentibus, vitioſam aut potius, ut Cicero dixit, *nullam eſſe rempublicam* exiſtimaret. Duo tamen genera reperias, qui hæc disjuncta ſua natura & diverſa datâ operâ confuderunt, hoſtes regnorum, & ipſos (quanquam qui magis hoſtes?) tyrannos. Sic quidam qui in libertate vixerunt

popu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

populi, ut conſtituerent ſtabilirentque ſuum formam, regium nomen in odium vocarunt. ut veteres Romani, poſtquam ejectis pulſiſque Tarquiniis *neminem ſe unquam unum Romæ paſſuros regnare* jurejurando adfirmarant, regnum non minus quam dominationem & tyrannidem, omnis licentiæ & ſcelerum vocabulum habuerunt. Unde illa apud Latinos, *regii ſpiritus*, *regia ſuperbia*, *crudeliter ac regie facere*, *more regis de tergo ac vita conſulere & pubem ingenuam ſtuprare*, & ſimilia. Voleſus proconſul Aſiæ, cum trecentos una die ſecuri percuſſiſſet, inter cæſorum abjectorumque cadavera magnifice & ſuperbe incedens, *O rem regiam!* exclamavit. Unde & illis qui multum auctoritate, gratia, eloquentia aut ulla alia, præter leges, re poterant, *regnum* objiciebatur ab inimicis. Cicero Hortenſio, Clodius Ciceroni *regnum ſcri*; Cicero Rullorum ſociis *regnum decemviratus* obje-

ctaverunt. Eadem ratione ut Philippum in odium adduceret & amorem popularis ſui ſtatus Athenienſibus augeret Demoſthenes, regis nomen cum tyranno confundit. τί ζητεῖτε, ἐλευθερίαν; εἶτ' οὐχ ὁρᾶτε Φίλιππον ἀλλοτριωτάτας ταύτῃ καὶ τὰς προσηγορίας ἔχοντα; βασιλεὺς γὰρ καὶ τύραννος ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερίᾳ καὶ νόμοις ἐναντίος. Quando adverſus Leptinem, ut mores Spartanorum præ legibus & inſtitutis Athenienſium contemneret, *Lacedæmone ſi quis ſpectata virtute in ſenatum adlegatur*, δεσπότην *dixit ſieri multitudinis.* Non quod revera illa eſſent *regia* ſcelera, (quid enim indignius fœdiuſque dictu?) aut quod *regium* nomen legibus adverſum; ſed quod libera illa regna facilius in tyrannidem abirent, proximum vitium quaſi inſitum regno exagitaverunt & criminati ſunt. In hunc numerum ſi ſe adſcribi geſtientes juraverunt regum odium; & cives ab eorum ſubje-

ctione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ctione deterrere volunt, regnum ſane pro tyrannide, tyrannidem pro regno habeant. Præferant tamen quod agunt, nec eodem tempore regibus palpentur & libertati publicæ inſultent. Quanquam eſt hæc natio hoſtibus inexpiabilibus & conjuratis pernitioſior & peſtilentior, qui non armis nec ſignis infeſtis, non illis nominibus ad quæ ad arma diſcurritur; ſed blanditiis deformibus, meritorio obſequio & nominibus continuorum & amicorum in pernitiem regum regnorumque graſſantur: magiſque tum in reges, tum in univerſum genus humanum peccant, regibus omnia tribuendo, quam illi qui nihil tribuunt. Hi enim profitentur palam ſe hoſtes regum; illi eo pejores ſunt, quod ſimulant amicos: hi cives regibus, male quidem, ſed tamen hominibus homines æquant; illi reges, hoc eſt homines, Deo, ne dicam, præferunt, majoriſque majeſtatis rei ſunt. hi ſane quum eò re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cidere, ut ſceleratas regibus manus inferant aut eos veneno intercipiant, ad ultimum nefarii videntur; ſolis tamen corporibus nocent, & hominem magis quam regem lædere poſſunt: illi animos & illam vere regiam partem invadunt, dulcibuſque venenis de mente & conſilio deducunt; quo ex bono rege immanem & truculentum tyrannum faciant, hoc eſt vivum & videntem, ſed regnantem regno ſpolient. quanquam imbutos jam tyrannicis doctrinis etiam ipſos timere & odiſſe, & aut tollere aut jam ſublatos cupere neceſſe eſt; ut etiam ſaltem animo ſint regum interfectores: at hi vacant omni adulatione; præbent utique illi odio regum & tyrannicidiis imo & parricidiis ſæpe cauſam, at non hi adulationi. non enim tam ſuo vitio quam adulatorum generoſi ſpiritus homines regnum repudiarunt. Illi enim ipſi qui regum jus in immenſum extollentes, qui injuriam facere, omnia

flagi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

flagitia admittere, tripudiare in cæde & ſanguine innocentium, & hominibus tanquam feris uti *jus regium* eſſe dixerunt, illi ſunt qui eos de ſolio detruſerunt, & eo adduxerunt nationes multas, ut ſine ullo imperio ferarum ritu, quam ſub regno ætatem agere optatius crederent. Quemadmodum nihil magis quam cymbala & tympana & ejuſmodi flagitiorum ſacrorum velamenta, homines item vivi defoſſi, liberi immolati, & ſimilis inhumana crudelitas & Deo vindice digna ſcelera pro re divina facta, homines impios & religionum contemptores efficere potuerunt; cum omnis natura Deum oſtendat, eumque colere omnis ratio jubeat: ſic licet regum ſanctitas haud dubia eſſet, mancipiorum tamen vilitas, indignitas adulatorum & fœda quædam ſuperſtitis, ut juſta regum imperia multis etiam odio ſint, nec inter regem & hoſtem quicquam intereſſe putetur, efficiunt. Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Hoc tamen tam noxium tetrumque genus unicè miratur autor defenſionis regiæ, ita jactat & in cælum effert illud Artabani & Otanis duorum adulatorum & regum interfectorum, (vide quos miretur!) *hanc eſſe optimam legem qua rex ut Deus colatur*, & illud illius, qui ut flagitium regis comprobaret, *legem ſe inveniſſe* dixit, *quâ regi liceret quicquid collibuiſſet*. Miſerum te, ſi nihil potes his inventis addere; decebat enim ſtrenuum adulatorem. an non ſuccurrebant illa Photini?

Non coëunt virtus & ſumma poteſtas,
Libertas ſcelerum eſt quæ regna inviſa tuetur.

Solent enim prodire ex eâdem officinâ & iiſdem digna ſunt autoribus. nemo enim bonus illa unquam dixit: bonis regibus vix quiſquam impune dixerit. Non enim iſti libera regna, ſed, ut jam ante diximus, ea in quibus maxima civium libertas probaverunt, non res inſociabiles ſed indivi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

duas libertatem & regnum cenſuerunt, planeque omnem autoritatem poteſtatemque ſuam jure definiverunt & legibus. Antigonus, dicente quodam, *privatum decus virtutem eſſe, omnia honeſta & juſta eſſe regibus: barbaris mehercle*, inquit, *& barbarorum regibus; at nobis ſola honeſta honeſta, ſola juſta juſta ſunt*. At monſtra quædam & propudia generis humani inſtinctu adulatorum & furiarum ſuarum invenerunt hoc nefarium & ſceleratum jus, & poteſtatem regiam definierunt regum cupiditatibus, hoc eſt infinitam fecerunt. Lycus apud Senecam;

Quod Jovi, hoc regi licet.

Atreus:

Ubicumque tantum honeſta dominanti licent,
Precario regnatur.

Caracallæ noverca dixit & vix fidem invenit apud tale portentum: *Licet ſi libet*. Neronis eſt illud, *neminem priorum principum ſciviſſe quantum ſibi liceret:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ret: Caligulæ, *ſibi omnia in omnes licere.* Verba tua recognoſce, ô patrone tyrannidis, & aude negare hos te ex omni antiquitate juris regii conſultos quos ſequereris delegiſſe. *Rex eſt*, ais, *cui quod libet licet, & cum facit quod ei libet jure ſuo utitur.* Ergo nulla tanta animi importunitas, nulla tanta ſuperbia & intolerantia, nulla tam horrenda immanitas, tam fœda libido, tam exſecranda impietas, quæ non tibi regii juris eſſe videatur? Quid ſi inſontes paſſim ſine more, ſine lege arripiat, in cruciatum trahat, indefenſos inauditoſque condemnet? an ſatis eſt velle, jubere, aut aliqua cruciatus carmina pronuntiare, *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito?* Quorſum igitur tot ſacroſanctæ leges, quibus ſingulorum & omnium libertas munitur, quibus ſalus gentium continetur, quibus de nocente non quovis modo non quovis tempore ſupplicium ſumere licet, quibus etiam

lictor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

lictor cum pœnas expetit *lege agere* jubetur? Rex, inquis, iſtis non tenetur. Licet ergo ſingulis verſiculis aut verbis multa millia è medio tollat totaſque civitates funditus evertat? *Hunc*, ais, *caſum non puto dari, vult enim quiſquis imperat eſſe quibus imperet*. Scilicet ratione illi & conſilio revocantur, qui ſceleribus & furiis ſe permiſere ſuis: & amiſſa populorum benevolentia jam timeri iidem volunt & timent, nec ſcelera ſua niſi novis & majoribus ſceleribus tutari ſeſe poſſe vident. Exagitant hos ultrices furiæ, neque vigilantes neque in ſomnis mente conſiſtere patiuntur, eoque ſæpe inſaniæ redigunt ut vacuo mundo vel etiam conflagrato velint regnare. Notus eſt ille, qui de toto ſenatu trucidando cogitavit & *qui populo Romano unam cervicem optavit*, ut uno ictu tot ſcelera comprehenderet. Cambyſes in Syria totius populi nares recidit. Caracalla ſpecie pacis Alexandriam ingreſſus,
poſte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

poſtero die omnem prolem juventutis evocatam immiſſo milite contrucidavit. Quid multis opus eſt? plena ſunt hiſtoriarum monumenta exemplorum infandæ crudelitatis, cæſarum gladio concionum, populorum capitis damna paſſorum & oppidorum quibus aratrum inductum, libidine inſolenter dominantium, præſertim eorum qui plurium civitatum reges fuêre. Hæc igitur regia ſunt te judice, & quæ alia ſunt atrocitatis inſanæ; exuere bonis & de fortunarum ſuarum ſtatu cives dejicere, repudiare à republica omne concilium, commune publicum tanquam nefarium prædonem diripere & vexare, agere ferre omnia, abrogare ſanctiſſimas religiones uſu legibuſque receptas & nova ſuperſtitione cives alligare: hæc omnia non tantum licent regi ſimul collibitum eſt, parum id eſſet, jus eſt. En præclarum autorem & conditorem juris, en conſultiſſimum virum & egregium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

gium juſtitiæ ſacerdotem, qui artem æqui & boni, juris omnem vim & pene principium (quid enim aliud eſt ſummum imperium?) in injuria ponit & regum libidine? quæ injuria erit, hoc ſi jus eſt? quæ tyrannis, ſi hoc regnum? quid civium jus, ſi hoc eſt regum? Conſtitue ſaltem aliquos terminos, ut hoſtem à rege, cuſtodem civitatis ab everſore liceat diſcernere. Vis tu unius hominis eſſe judicium, in terris ſit an funditus deleatur genus humanum? poſtulas ut ille populo rex ſit, cui populus non eſt populus? ille caput reipublicæ, cui reſpublica non eſt reſpublica? ille rector & cuſtos civium, cui cives in hoſtium & ſervorum numero putantur? ille denique ſacroſanctus, cui non jus, non fas, non ipſum Numen ſacrum neque ſanctum eſt? Inſano tamen & mente capto curatorem & rectorem publice das; regere vis imperio alios contra Deum & homines peſſima mente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

efferveſcentem & exultantem? Negas mentis compotem, qui ſibi infert manus & corpus cruentat ſuum; hunc tu putas ſanum, qui nihil humanum, nihil divinum ſanctum habet; qui non magis corpora inſontium quam ſuum quotidie animum laniat & torquet? Hic vero omnium peſſime & periculoſſime furit, & eo magis conſtringendus eſt, quod in omnium pernitiem & exitium & cum quadam ratione inſanit. Adeone tibi unus liber, unus homo, cæteri omnes ſine honore, ſine capite, ſine nomine, viliſſima mancipia? mancipia dico? imo ultimis mancipiis longè deteriori conditione? His enim à Domini benignitate licet ſaltem ſperare libertatem; imo, ſi graves & iniquos ſortiti ſunt dominos, hoc etiam leges dedere, ut vendi ſe poſtulent, & ubi conditionem ſervitutis mutare deſperaverint, mutent dominos. Tu cives non tantum à verberibus, ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

unco & cruce non liberas, ſed etiam adempta omni, quæ ſola hominem in miſeriis ſuſtentat & conſolatur, ſpe (quo enim confugere poteſt ubi ſummum imperium non ſit?) nullum malorum finem exitumque invenire poteris, ſed miſeram, oneroſam & ſempiternam injungis ſervitutem. *Ne de ſervo quidem aut captivo omni loco, aut omni genere, aut per quos libebit, aut cum quibus libebit ſupplicium ſumi fas eſt,* ait ille apud Senecam. Vos de liberis jus eſſe vultis. Sunt etiam aræ religionibus ſanctæ, ſunt aſyla libertati conſecrata, ad quæ ſervi deſpectiſſimi etiam & capitalis noxæ rei & publici hoſtes tuto confugiant; & ſummum dominorum jus, juſta victorum licentia, & ipſius etiam juſtitiæ ſanctiſſima poteſtas circumſcribitur, (& eſt certe aliquid in hos omnes nefas:) an unius injuriæ in liberos, inſontes & immeritos nullum modum finemque ſtatui, nihil illicitum eſſe putabimus? Quid carce-

re,

re, quid eculeo, quid omnibus ſupplicіis dignius dici poteſt aut cogitari? Si ſub Nerone aliquo aut Phalaride viventi tam putidâ fœdâque ſubſcriptione mors tibi deprecanda eſſet, tamen ſi quicquam ingenui ſanguinis, ſi qua eſſet famæ memoria, vitam potius veritati impendere, quam te ita in omnem poſteritatis infamiam proſtitueres. At cum reſpublica hodie Chriſtiana, ſingulari Dei erga nos indulgentia, in fide & tutela legitimorum & bonorum principum ſit, quæ te cepit dementia, ut voluntarius generi humano univerſo fœdiſſimum ſervitium denunciares, eaque produceres monſtra, quæ tanquam ruinam publicæ ſaluti portendentia in extremas terrarum marisque oras deportanda & piacularibus ſacris procuranda ſunt? Quod tuum illud os? quæ tam impudens audacia? quæ in Moſchorum aut Turcarum aula fortaſſean ſe jactarent, ea tu principi Chriſtiano dicare, & quæ
ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ad deploratiſſimorum peſſimorumque tyrannorum judicium elaboraviſti, ea ad optimum regem mittere audes? in ipſo quinimo libertatis ſinu, & ejus libertatis, quæ quod ultimum in tyrannide, dubium, toleraverit fortius, an ulta ſit; in hac recenti hominum memoria, tu ſceleroſiſſima quæque & ſanguinantia edicta comprobare, tu ſubjectis deformem & abjectam imponere ſervitutem, & quæ vix ulla in barbaria quiſquam tyrannus, ut jam fecerit, confiteri audeat, ea tu palam & in oculis omnium ut juris regii defendere, inſanis clamoribus & fœdiſſimis convitiis propugnare audes? nec ora & conſcientiam generis humani, nec publicæ nec privatæ libertatis, nec ipſius naturæ ſanctiſſimam majeſtatem perhorreſcis? Sed iniquus ego ſum, aut parum certe memor ſeculi, quo frons de rebus periit, qui pudorem aut metum aliquem ab his hominibus poſtulem; aut modum

aliquem ab iis qui nullum in his rebus modum volunt. Et fuerat jam ante illum, qui hæc eadem neque minus falſo, neque minus ineptè, neque minus ſerviliter ſcripſit, civis (proh pudor) & nobilis rabula: qui heic tam multa confundit, turbat, cavillatur, ut ſophiſtam ſe putet, non tantum cauſidicum. *Vult enim regum cauſa fabricatum à Deo mortale genus;* perinde quaſi nec generis nec ſanguinis noſtri, ſed natio quædam inter Deos hominesque media eſſent: aut ut vitâ carentia cedunt in uſum vivorum, bruta in ditione hominum ſunt; ſic in homines hominibus, paribus in pares liberum ſua natura ſuoque jure regnum eſſet. quid? (quod diſerte auſus eſt dicere) *quantum præſtent belluis homines, quantum reges ſibi cedere Deus voluerit, tanto demiſſiores regibus ſeſe ut gerant ſubjecti eundem voluiſſe.* Ergo omiſſo boni & mali, juſti & injuſti, honeſti & turpis omni reſpectu (eo enim, ſi neſcis, feris

præ-

præſtamus, non quod vino obruimus mentis calorem) ſola dominantium juſſa nos vult adſpectare, nec quicquam præcipui nobis relinquit præter corporis figuram, aut omnino nihil præter cæcam obſequendi neceſſitatem. Supererat hoc nimirum, ademta libertate externa, propria humani generis, ut jam non cuniculis oppugnarent, ſed peterent aperte naturam; ut communi ſenſu, ut recta ratione, ut omni jure, quo homines numeramur, ipſaque Dei imagine ſpoliatos, hoc eſt, Deo, quantum quidem in ipſis fuit, repudiato, nos in ferarum brutorumque gregem tranſcriberent. Feræ tamen beſtiæ & rabidiſſima quæque monſtra habent jus & fas quoddam ſuum, & quandam mentis imaginem quam non tantum, dum in ſua ſunt ſylveſtri libertate, retinent; ſed etiam, cum capti magiſtrum & manum pati didicerunt, nunquam tamen niſi cum ultimo amittunt ſpiri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tu. tu hominem proximum divino genus, cui datum eſt in cætera jus & imperium, omnibus naturæ legibus privas, adimis humanos ſenſus, ne belluinos quidem reddis aut relinquis, nec jam ex finibus tantum humanæ naturæ exterminas, ſed infra etiam beſtias ratione & intellectu caſſas dejicis & detrudis. O frontem adulatorum ferream! ô impietatem deteſtandam! qui ut dominationis neſcio quibus dehoneſtamentis perverſam gratiam gratificentur, ſui, poſteritatis, patriæ obliti, eas doctrinas vulgare non verentur, quibus hominem de homine, & ipſam de natura naturam tollant. Præſtat hoc tamen conjuncta ſummæ impudentiæ ſumma imprudentia & ſtultitia, ut neque neceſſe ſit neque dignum hæc multis refellere. non enim decet ea refutare quæ ſe ſatis ipſa refutant, neque eo prolabi indignitatis, ut cum iſtis animalibus rationibus agamus, cum ſeſe beſtias profiteantur. quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

rant ſibi, qui dignis in ſe argumentis utatur, hoc eſt, ſtimulis ſe fodiat. At nos gratias ante omnia divinæ providentiæ agamus, quod illa quæ in nobis maxima & potiſſima, libera ſunt, & ita poſita & infixa in natura, ut non compedibus, non eculeo, non flagris, non alienæ libidini in ea jus eſſe poſſit, maneantque in extrema ſervitute etiam multæ libertatis reliquiæ. Non tamen ideo minoris faciemus civilem illam & corporis libertatem, etiam pluris. ubi enim ab omni jugo vitiorum animum liberaverimus, illud maxime nobis optandum eſt & proximum, ut liberum quoque corpus facultateſque habeamus, quo animi imperata in honorem numinis bonumque hominum recte & ordine exſequi & munia noſtra obire poſſimus. Qui ſunt igitur iſti qui inani nos voce ſonare dicunt, qui appellationem ſine ſpecie, umbram ſine corpore & ludibrium ſeditioſorum eſſe dicunt libertatem? Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

nihil ipſi ſenſus habent, nec omnium generum autoritatem nec ipſius naturæ accipiunt: at credant ſaltem Deo, nec ejus beneficia eludant & irrita faciant. non enim hic ſpero cum Epicuro ſentiunt: quanquam habet hæc civilis doctrina neſcio quid Epicureum. nam ut ille virtutem, ſic hi libertatem caſſum quiddam & inani vocis ſono decoratum eſſe; imo ſi propius intueare (quanquam id dicere muſſant) ipſam quoque virtutem & juſtitiam inanem reddunt: eo quidem pejores hi & iniquiores ſunt, quod ille ſenſui & naturæ non adverſari doceret, hi palam repugnent; ille ſummum uniuſcujuſque bonum in voluptate, ſed ſua, hi civitatum bonum non in ſua ſed aliena ponant libidine. Quod ſi nec autoritatibus clariſſimis & ſanctiſſimis, nec rationibus evidentiſſimis ſe ſubmittunt, flagris jam & ſtigmate opus eſt, ut ſic ſaltem aliquid diſcant eſſe libertatem. Quæ ſi eſt aliquid, ſi

qua

qua res huic voci ſubjicitur , illud jam opinor non negabunt, intereſſe inter hanc & ſervitutem. Servorum eſt hæc ultima conditio, ut ferant & patiantur omnia; ad parendum & imperata exſequenda non nihil juris retinent & libertatis. Nemo conditione ſervus iis quæ palam impia ſunt & ſcelerata jurique divino & naturali repugnantia juſſis tenetur: nulli ſceleri ſciens commodabit manus, nihil impium, nihil turpe faciet, ne patietur quidem quæ pati flagitioſum eſt. Feret interim, ut injuſtas ab ſe pœnas expetat, ſæviat in corpus, tergum, cervices, & illa ſua vitæ & mortis licentia dominus utatur. Majora nec licent nec poſſunt licere: ſive enim quis ſemet in ſervitutem dicavit, plus quam habuit juris in alium transferre non potuit. neque enim inire nobis fœdus licet, & ſi initum ſit irritum eſt; ne utamur ratione, ne juſta & honeſta ſequamur, ne bonæ menti operemur, aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ne Deo pareamus. de iis quæ dubii ſunt juris, & in quibus nobis aliquid licet paciſcimur. Si quis nobis vim offerat, licet jure naturæ vim oblatam vi frangere, licet etiam pati ut vitæ hujus uſura eripiatur potius quam ut eam cæde aliena & ſanguine redimamus: eoque magis, quod in tam lubrico ad peccandum loco facile modum excedere ſit. ita & omne jus reſiſtendi videtur abdicari poſſe. Hoc eſt ergo illud jus quod in dominos tranſſcribi poteſt: illicitorum & vetitorum nulla ſunt pacta. Quod ſi quis pro pœna ſervitutem ſuſcepit, ferre quidem alienam debet licentiam; adminiſter ejus eſſe non debet. neque enim crimine crimen dilui poteſt; neque ſcelus patrare, id eſt pœnæ genus juſtum. Quare ſi civibus idem illud quod ſervis pati, ſi ſubire crucem & concoquere ſcelerum omnium plagas neceſſe eſt, nihil inter eos & deſpectiſſima mancipia intererit. *Injuſtus*, inquis, *erit*, *ſi* *ſer-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſervilem in modum habeat cives. At in quod jus peccabit? civile, an divinum & naturale? civile. at quî poteſt? ejus enim ſummus, ut iſti volunt, arbiter rex: illis non tenetur ejus dominus. utitur igitur jure ſuo, ſi illud temerat, mutat, legeſque figit & refigit ex voluntate ſua. At peccare poteſt, ubi in jus naturæ & divina præcepta imperat: quaſi non ſic quoque peccat, ubi injuſta & impia ſervo dominus juſſit. Si nihil licet civibus, ſi Deo res iſta judicanda relinquitur, per omnia pares erunt ſervis. Deo enim non hominibus rex peccat, qui detracta perſona & illis fortunæ additamentis omnes ex æquo & ex animi virtute, quæ neque dono neque venum datur neque pacto tranſſcribitur, cenſet & judicat. Qua in re ergo pones libertatem? An tu ſi dominus copioſiora alimenta & irritamenta gulæ objiciat, ſi adminiſtrum & prægustatorem libidinum, ſi atrienſem te & topia-

rium fecerit, modo lauta & honorifica, ſi tamen in extrema & miſerrima contumelia poteſt quicquam eſſe honorificum, conditio ſerviendi detur, adeo animam pro ſale habebis ut te putes liberum? jus mihi iſtuc meum non aliena libido, ut liber ſim, oportet præſtet. *Etiamſi enim dominus moleſtus non ſit, eſt tamen hoc* (verba ſunt Ciceronis) *miſerrimum poſſe ſi velit.* unde & hi *qui dominorum voluntate* (ut eſt in fragmento Juriſconſulti) *in libertate erant, manebant ſervi, & manumiſſores audebant in ſervitutem eos denuo per vim ducere.* Illud quidem nemo negat, ita ſæpe rigorem militaris diſciplinæ, ita publicam exigere neceſſitatem, ut liberi homines tam arctè contenteque habeantur, tamque graves & prope injuſtos labores tolerent, ut infeliciores ſervientibus ipſis; illis utique videantur qui oculos non habent quibus libertatis & virtutis pulchritudinem intueantur. Sed pulcherri-

ma

ma cauſa facit miſerias honeſtas, labores dulces, calamitates glorioſas, & ipſas ab opere virtutis collectas ſordes decoras & pulchras. adeo ut optanda hæc neſcio an deprecanda ſint viris magnis & cælo natis: cum illa, quos jactat antiquitas, famæ nomina, non aliis nominibus laudati conſecratique quam iſtis heroicis malis ſint.

** Durum iter, ad leges patriæque ruentis amorem*
Hi mihi ſint comites quos ipſa pericula ducent
Qui, me teſte, pati, vel quæ triſtiſſima, pulchrum
Romanumque putant. at qui ſponſore ſalutis
Miles eget, capiturque animæ dulcedine, vadat
Ad dominum meliore via.

Ac plena quidem & abſoluta libertas, quia ſummam rerum poteſtatem & arbitrium videtur intelligere, non

* *Cato apud Lucanum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

non niſi illius eſſe videtur qui eſt ſummo cum imperio. Lucanus:

Toto jam liber in orbe
Solus Cæſar erit.

Martialis.

Liberior Partho vivere rege potes.

Nec diſcrepat illud Saluſtii: *Quidvis impune facere id eſſe regem eſſe.* Eo quoque reſpexiſſe videtur hoc noſtro ſeculo vir, licet invidi diſrumpantur, magnus, qui *ſummam poteſtatem ejus eſſe dixit, cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio poßint irriti reddi.* Quæ quidem definitio, ſi propius examines, ſummæ potius libertatis quam poteſtatis eſt. nam qui legibus ſolutus & oneribus publicis, qui nihil cum populo contrahit, aut ſolus eſt, ille neque ſubeſt alieno juri & in ſua eſt poteſtate. ſic illæ quoque gentes, quæ, ut olim Aborigines, liberæ & ſolutæ & diſperſæ vitam agunt.

Nec fœdera legum
Ulla colunt, placidas nec jura tenentia mentes.

Nam

Nam ſumma libertas ejus eſt qui ſui potens eſt, ſumma poteſtas qui & in alium jus habet. Sed in ſocietate, niſi definita ſit voluntas, haud multum videtur intereſſe: eſt enim quidvis agendi licentia. unde & quidam libertatem hominis eſſe neminis ſcripſerunt. οὐκ ἔστιν ἀνθρώπων ὅς τις ἔστ' ἐλεύθερος. Æſchylus. ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός. ut ne Deorum quidem ſit niſi illius ſummi; quem tamen ipſum fata ponere & fatis eundem parere voluerunt.

Quid enim terraque poloque
Parendi ſine lege manet?

Cæterum etiamſi plena hæc libertas aut nulla ſit in rerum natura, aut Dei, aut in terris dominorum: non tamen neceſſe eſt, qui in plena libertate non ſunt eos eſſe in plena ſervitute. Definita hæc libertas eſt *legum ſervitus*. unde veteres ſe *legibus* dixerunt *ſervire ut liberi eſſent*, & *illos liberos qui ſuis legibus uterentur ſuoque jure*, & *vindicare in libertatem & ſuas leges*,

quæ

quæ paſſim obvia ſunt. ut & apud Græcos *αὐτονομία* & *ἐλευθερία* pro re eadem. ut autem conjuncta ſunt *liberos eſſe* & *ſuis legibus uti*, ſic contra; *in ſervitute & alienas leges accipere*, *dominari & leges dare*. Ovid.

Leges victis juſtiſsimus autor
Hoſtibus impoſuit.

Propertius:

Atque ubi nunc terris dicuntur jura ſubactis.

Atque hæc magna profecto ratione. Lex enim tracta à numine & ab aliqua mente & prudentia ratio eſt. Deo autem, rationi & ſapientiæ ſervire adeo ſervile non eſt, ut philoſophi certatim in eo poſuerint ſuam illam animi libertatem, ceu omnis libertatis fundamentum. Etenim cum *libertas* ſit *poteſtas faciendi quod velis*, niſi definiatur voluntas hominis & legibus alligetur & rationi ſubjiciatur, inter homines illa dari non poteſt. *Legis vis in conſuetudine eſt & moribus. Conſuetudo altera* vulgo *natura* di-

dicitur. ut naturæ convenienter vivere, ea eſt vera & prima libertas; ſecundum mores & conſuetudinem, altera & proxima libertas eſt. *Lex eſt commune civitatis pactum*. quod autem inter omnes convenit, id pro jure naturali eſt. Itaque nec digni libertatis auguſto nomine, quamvis domino careant, niſi qui juſta legum imperia patiantur. Tacitus de Armeniis: *incerti ſolutique, & magis ſine domino quam in libertate*. à quo non videtur illud multum recedere, quod in libris Judicum aliquoties dicitur, quoties ſine cuſtode legum populus Judæus propior licentiæ eſſet: *cum illo tempore rex non eſſet in Iſraël, hoc quiſque faciebat quod rectum ſibi videbatur*. Cum Xerxes bellum moturus Græcis eo facilius ſe eos ſubacturum conſideret, quia liberi eſſent, quod neminem in ſe periculum ſuſcipere, nec fortiter facere, nedum in perſpicuam mortem ire niſi coactum crederet; Demaratus eripere

hunc

hunc regi errorem conatus eſt, *eſſe quidem illos in libertate* dictitans, *non tamen per omnia liberos: dominari illis legem, quam multo revereantur & timeant magis quam ſui ſatellites regem.* Libertas autem illa quam dicimus eſſe legum ſervitutem certarum, vel *publica* eſt, vel *privata* ſeu *perſonalis*. illa eſt ubi legibus inter plures partita eſt ſumma reſpublica, de qua ante diximus. ac de hac libertate cum loquuntur ſcriptores, leges & reges, libertatem & regnum ut contraria ſibi opponunt: publica enim libertas & ſumma liberaque unius poteſtas ſimul ſubſiſtere non poſſunt. At hæc etiam in regno eſſe debet & plane in omni civitatis legitimo genere; quæ quidem non minus ſuum ex natura jus ſuaſque leges habet ſanctas & immutabiles, quas nec regi liceat violare. illud intereſt, quod populus non ad conſultationes de ſumma republica adhibetur, non deliberat de legibus merè civilibus iiſque quas

pro-

pro re & tempore mutari neceſſe eſt. Sunt tamen nihilo minus ſanctæ & regibus etiam ipſis datæ quædam leges. ubi enim nihil certum & conſtitutum, ita ut illud mutare aut temerare nemo audeat, non ſunt iſtæ, quæ vocantur, leges; miniſtræ ſunt & interpretes regnantium libidinis. ubi nullæ leges, nulla ibi libertas: ubi nulla libertas, non ibi hominum cœtus, non verè civitas, ſed grex mancipiorum eſt. Plato: ἃς δὲ ὠνομάκαμεν νῦν, οὐκ εἰσὶ πολιτεῖαι, πόλεων δὲ οἰκήσεις, δεσποζομένων τε καὶ δουλευουσῶν μέρεσιν ἑαυτῶν τισί. *Quas autem modo nominavimus, non ſunt reſpublicæ, ſed civitatum habitationes, in quibus pars una ſervit alteri dominanti.* Ariſtoteles: φανερὸν τοίνυν ὡς ὅσαι μὲν πολιτεῖαι τὸ κοινῇ συμφέρον σκοποῦσιν, αὗται μὲν ὀρθαὶ τυγχάνουσιν οὖσαι κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον· ὅσαι δὲ τὸ σφέτερον μόνον τῶν ἀρχόντων, ἡμαρτημέναι πᾶσαι καὶ παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν· δε-

δεσποτικαὶ

σποτικαὶ γάρ. ἡ δὲ πόλις κοινωνία τῶν ἐλευθέρων ἐστί. Perſpicuum eſt igitur reſpublicas eas quidem, quæ commune bonum ſpectent, rectas eſſe & ei juri quod ſimpliciter jus eſt, conſentaneas; eas vero, quæ imperantium tantum, omnes eſſe depravatas, & à bonis rebuſpublicis aberrantes: beriles enim ſunt. civitas autem liberorum eſt ſocietas. Libertas in civitate eſſe debet: primum, quod non ut in bruta & res ſuas quarum dominus eſt, ſed ut in hominem homini jus eſſe debet, hoc eſt in parem, etiamſi conditione inferiorem, ejuſdemque rationis cum imperante, etiamſi non imperii, participem. itaque ratione & mente præditis cum ratione imperitare debet; & reddenda etiam communis quædam ratio eis quibus ratio non redditur: quo videant, capitis ſe damna non pati, & ut liberos non ut ſervos haberi. Inſitum enim hoc eſt homini, * ut natura nemini parere velit, niſi ratione hoc eſt recte & juſte & legitime

* *Cicer.*

me imperanti. Quod neque ignorant tyranni; & qui negant ſe teneri ullius rei rationem reddere, in edictis tamen ſuis, quamvis atrociſſimis, ſi quid eſt ſatis juſti coloris illinunt, nec quicquam magnum palam facere aut jubere audent, ut ſi non bonam, * at aliquam facti rationem afferant. *Nulla lex*, inquit Tertullianus, *ſibi ſoli conſcientiam juſtitiæ ſuæ debet, ſed iis à quibus obſequium exſpectat. cæterum ſuſpecta lex eſt, quæ probari ſe non vult: improba autem, ſi non probata dominetur.* Quamobrem neque voluiſſe neque debuiſſe ita ſe ratione ſpoliare eos qui in ſocietatem coiere, ut non certum aliquod jus, & ad finem illum media, quæ ab ipsâ quæ jus conceſſit naturâ conceſſa, ſibi retinerent, manifeſtum eſt. tantum enim juris voluere transferre in rectorem civitatis, quantum opus eſt ad publicam ſalutem & conſervationem. at quæ palam juri naturæ & divino adverſantur, fini quoque civitatis

* *Cicero.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

vitatis aut certe veræ vitæ adverſantur, ſi enim civibus non liceat quæ ſua natura & omnium conſcientia (omnium dico, nam & qui peccant in iſta, non ignorant ſe peccare) juſta ſunt agere, quæ nefaria & ſcelerata tutò omittere, ſi rebus & fortunis ſuis uti, nec benè nec tutò una vivere poſſunt: altero vivendi facultas, ſine qua vix poteſt, altero vitæ finis aufertur, ſine quâ civitas ſubſiſtere non debet. Abſurdum enim eſt, ſocietatis cauſam propter ſocietatem, & cauſam vivendi propter vitam perdere. Et ſane in utramque partem & ab utriſque poteſt peccari; & tam ſocietas & publica felicitas nimiâ imperantis quam parentium licentiâ everti. Debet igitur utrimque modus quidam finiſque, quos ultra citraque nihil liceat, & alia civium atque ſervorum eſſe conditio. Ac profecto bene rem ponderanti id facile apparet. Dominus plenum jus vitæ & necis in ſervum habet. eo

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quod ſervus eſt, ſummum de eo arbitrium habet, extrema commeritus eſt. *Servorum enim appellatio*, ut ait Juriſconſultus, *ex eo fluxit, quod imperatores captivos vendere ac per hoc ſervare nec occidere ſolent.* cum itaque nullum deinde aliud pactum interceſſit, quo in integrum reſtituitur, dominus utitur jure ſuo, & eum occidit quando collibuit: neque ei injuriam facere poſſe videtur, cui quicquid vitæ datur beneficium eſt: caput enim jam ante non habet, nec ullo in numero eſt, ſed quaſi mortuus. At ſummi civitatis rectoris jus tale non eſt. vitæ & mortis poteſtatem omnem à crimine quod admittant, non enim admiſere nec ſunt pro nocentibus, aut à neceſſitate reipublicæ, quæ crimina facere poteſt nova, accipit: itaque neque jubendi, neque vetandi, nedum pœnas expetendi jus habet niſi legitimum. non habet jus in perſonas ut dominus, ſed eos recte & ordine regendi,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

non jus iis utendi ut ſuis rebus, ſed in publicum omnia referendi; non ex civitate familiam unam, nedum viliſſimam abjectiſſimamque familiæ partem, quæ ſunt mancipia, faciendi: augere eorum jus poteſt, minuere non poteſt. Quod ſi in hac ſubjectione ſervitutem quandam ineſſe (quod & olim Stoici dixerunt, quanquam haud admodum boni proprietatis autores, ut qui ſapientem ſolum regem, liberum, divitem, ceteros omnes ſervos, pauperes, inſanos volunt) quod ſi quis hoc contendat, nos de verbo non litigabimus; dum de re conſtet, eſſe quandam libertatis partem in omni civitate debere. Quod ſi nobis conceſſerint, (& quî poſſunt negare?) illud tyrannorum fautores orabimus, ut regnum inter bonas civitatum formas haberi patiantur. Jam ſi libertas eſt aliqua, in illis utique rebus quibus iſta conſiſtit cives ſuperiorem non habent, pares ſunt, & æquali

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cum rege jure utuntur. Ex quo ſequitur, ſi rex iſta per vim attentet, licere iis per ſe quidem & ſuo jure eĩ reſiſtere. Si jus hoc eſt ſolius animi, quod etiam ſervorum eſt, licet reſiſtere rationibus, quæ mentis arma ſunt; ſi jus etiam corporis, licet etiam corporis armis reſiſtere & vim vi propulſare. Demoſthenes adverſus Androtionem: καὶ μὴν εἰ θέλητε σκέψασθαι, τί δοῦλον ἢ ἐλεύθερον εἶναι διαφέρει; τοῦτο μέγιστον ἂν εὕροιτε· ὅτι τοῖς μὲν δούλοις, τὸ σῶμα τῶν ἀδικημάτων ἁπάντων ὑπεύθυνόν ἐστι. τοῖς δὲ ἐλευθέροις, κἂν τὰ μέγιστα τύχωσιν ἀδικοῦντες, τοῦτό γ' ἔνεστι σῶσαι. *Quod ſi conſiderare vultis inter libertatem & ſervitutem quid interſit, hoc invenietis potiſſimum, quod ſervis omnia ſcelera ſint corpore luenda; ingenuis, etiamſi maxima admiſerint ſcelera, tamen corpus tueri licet.* Idem adverſus Timocratem confirmat. Ac hic quidem nobiſcum facit defenſor, ut ſe appellat, regum; oblitus nunc quod antea dixe-

dixerat, jus regis eſſe quicquid lubet. Nam quod David, ubi Saulem vitæ ſuæ imminere compererat, arma ſumpſerit ipſe, armatos ſibi circumdederit, urbes occupaverit, modeſtè ſane & intra terminos defenſionis, procul dubio tamen ad vim, ſiquidem illa inferretur, arcendam, (quando non alius armorum & militum uſus eſt) id ei per omnes leges divinas, naturales & civiles licuiſſe fatetur. Non eſt ergo jus regi, vitam ſine more & lege per injuriam ſubjectis auferendi: ceſſat enim jus imperii, bellumque & paritas quædam oritur, ubi incipit jus reſiſtendi. etiamſi enim invitus & modeſte, vim tamen vi repellas, bellum illud eſt. Nam bene reputanti ſatis apparet, ſi reſiſtere regi in manifeſtis ſceleribus non liceat, & bello ea defendere, nullum unquam in hoſtem bellum juſtum fore & legitimum. Cauſæ enim armorum vitia ſunt, non homines; nefaria, injuſta facinora,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cinora, non tituli ambitioſi & nomen hominum: quando majora & atrociora ſcelera ſunt, quæ ab eo inferuntur, quo minime decuit, cuſtode & rectore. neque majus ullum civibus bellum eſſe poteſt, quam cum iis qui juris ſervandi gratia conſtituti nihil juris in civitate relinquunt. Quî enim per Deum unquam rectè res tam atrox, tam nefaria quam eſt bellum ſuſcipiatur? quî jure fundatur ſanguis humanus & tot malorum inferatur & ſuſtineatur, niſi ad jura divina & humana libertatemque & leges defendendas? An unius hominis cauſa & ne alio transferatur ſervitium, tantum tumultus excitandum? neque enim alia cauſa eſt, ſi jam regi idem in cives licet quod hoſti; ſi jam eadem eis ferenda ſunt ſimul regi collibuit, quæ victis ab hoſte ultima timentur, ſi denique tot laboribus exantlatis victores eodem jure futuri quo victi. Submittantur potius colla & arma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cuilibet hoſti, & tollatur uſquequaque bellum, ſi nulla de cauſa res tam atrox aut etiam unius hominis cauſa fit: præſertim cum plerique hoſtes ſubigere malint quam interficere: dum ne lædatur reſiſtendo eorum voluntas, nec obſtetur commodis, nec dominari prohibeantur, integram prædam ſine ſanguine non repudiabunt, cædem remittent. Quanquam, etiamſi maximam cædem faciant, quid faciant quod non regium ſit, ſi ea omnium civium eſt conditio, ut non magis fortunarum quam vitæ ſuæ domini ſint, ut precaria incolumitate contenti obnoxiam carnificis arbitrio animam trahere in omni fortuna debeant? Quod ſi bellum aliquod gerendum eſt, cum vitam, libertatem & jus civitatis attentantibus, & cum ſceleribus illud gerendum eſt à quocunque illa inferantur; neque quæ foris vi, ferro, flamma proſequimur omnique ope oppugnamus flagitia,

gitia, ea domi fovenda, colenda & adoranda ſunt. In univerſum æſtimanti, in regno libero in iis quæ palam ſaluti publicæ adverſantur, & contra Dei & hominum jura, regni item leges & conditiones admittuntur, regi recte & legitimè reſiſti apparet. Si enim in iſtis in quibus ſervis etiam licet non obedire, non liceat reſiſtere, nihil amplius juris liberis quam ſervis. ſi in his quæ leges imperii ſunt, nulla eſſent pacta cum civitate, proinde eam ut ſervam habeat & formam imperii ex libidine mutet. Sæpe autem fit, ut non ſit jus reſiſtendi, niſi vis corpori inferatur. cum enim edictis verbiſque non parere poſſint cives, & verbis tantum reſiſtendo & res ſuas aſſerendo jus ſuum tueri, illi qui eos in jure ſuo interpellat ad vim deſcendere neceſſe eſt. Manifeſta autem ſint & clara ſcelera hæc oportet. nam de illis quæ diſceptatione egent & obſcura ſunt, ſummum habet Rex judi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cium, neque alius ſupra judicem judex eſt. Ferendum etiam nonnihil injuriæ, ut omnia ſi minus recte, at fiant ordine, & ſit aliquis litium & controverſiarum finis. Quum enim difficilis ſæpe & ardua veri exploratio humano ingenio obducat caliginem, & hominum malitia ſeſe pleriſque actionibus miſceat, vix fieri poteſt ut cum jurisdictione non quædam peccandi poteſtas tradatur. Datur enim cum poteſtate, & hoc ut ea abuti poſſit; neque quicquam juris concederetur, ſi non errori ſimul & fraudi quicquam donaretur. nam ſi à ſummo ad ſe quemque judice provocare & de re judicata pronuntiare fas eſſet, quis non injuſtam & flagitioſam judicaret ſententiam triſtem & ſecundum adverſarium datam? quis non irritum redderet omne judicium? Quo ſenſu etiam Juriſconſultorum illud verum eſt, *Prætorem etiam jus reddere, cum inique decernit*: quod intereſt publicæ

quie-

quietis quaſdam injurias tolerari:
Ferenda igitur quædam circumſcri-
ptio, * quæ crimen ſub ſpecie legis
involvit, & per jus ad injuriam ve-
nit; in qua apparet quod juſtum &
legitimum eſt, latet quod inſidio-
ſum & nefarium. Nefas utique eſt,
populum de rege, cui ſummam
commiſit rempublicam, ſedere diſ-
ceptatorem. Si de arte quapiam, pi-
cturâ aut ſtatuariâ puta, vulgariter
periti, qui nec errata fabrilia nec in-
timæ artis ductus cognoſcerent, ju-
dices ſtatuerentur, indignum id qui-
dem & iniquum peritioribus videre-
tur: populum, ubi in concilium
non advocatur neque habet peritiam
de adminiſtratione reipublicæ, qua
nulla res obſcuriorem habet diſputa-
tionem, de arte ea quæ etiam ſapien-
tes fatigat, quam *artem artium &
ſcientiam ſcientiarum* appellat Nazian-
zenus, de arcanis imperii, quæ ne-
que ſciri opus & falſo plerumque

* *Apud Senec.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

exeunt & enunciantur, de ipſis moderatoribus non ſine reverentia nominandis aut adſpiciendis judicem nos eſſe & pronuntiare velimus? Pronuntiat ille, ut notum eſt ingenium ejus, plus nimio adductus odio & invidia, peſſimis veritatis autoribus, & de bonis principibus ſæpe malum judicium facit. Neque vero pronum ſemper à tyrannide eſt diſcernere juſtum imperium: cum ſolus Deus in puro liquidoque æthere; in hac hominum fece nihil purum merumque, ſed permixta virtutibus vitia & juſtis facinoribus prava: neque populus ſemper idoneus qui quod poſtulet impetret: cum ſæpe adeo corruptis moribus eſt, ut niſi aſperioribus & ingratis remediis ſanari non poſſit; ſæpe ejus infirmitatis & levitatis, ut ſemper res novas moliri & evolare cupiat, quò ne retineri nec ſervari poſſit niſi pennis inciſis. Quibus rebus adductus ſummum rerum judicium & omne de republica

con-

conſulendi jus in regem transſtulit, eumque ſibi impoſuit tanquam ſuperiorem & meliorem: itaque pactis ſtare neque in ſe trahere jus quod abdicavit debet. At manifeſtorum ſcelerum nemini jus datum, neque opus fuit; quando omnium judicio potuerunt iſta conſervari jura. Nec eſt quod quiſquam putet, ſcelera haud facile palam fieri, falſis cum involvere titulis ii qui pravis dominationis artibus eruditi, & per cavillationem alias atque alias cauſas ſoleant eludere. Perrumpunt enim denique & perſonam virtutis non diu ferunt vitia; & ſæpe tam manifeſta ſunt, ut titulum & præſcriptionem ſuam reſpuant. Quota populi pars eſſe debeat, quæris, cui ſit jus reſiſtendi teſtatæ claræque injuriæ? ſingulorum id civium jus eſſe ſcias. ſinguli enim liberi ſunt & jus illud ſuum habent, neque alii conceſſerunt, & eorum quæ manifeſti juris ſunt ſingulis & omnibus, cura demandata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

eſt. Quanquam ſinguli id jus illorum dimittere debeant & etiam pauci, ne turbent rempublicam, cujus ſalus & tranquillitas præferenda eſt, non tamen minus id eorum jus eſt. Quò major autem populi pars offenditur, eò pluris eam eſſe nemo non videt. Quæri hic ſolet, anne plus liceat magiſtratibus in regno inferioribus, quam plebi adverſus ſummam poteſtatem? nam quidam eorum qui plebi non permittunt reſiſtere, magiſtratus pene juſſerunt. Qui negant, hoc potiſſimum utuntur argumento: magiſtratus quidem, inferiorum habita ratione, eſſe cum poteſtate, at ratione ſuperiorum eſſe privatos. omnem enim facultatem regendi quæ eſt in magiſtratibus ita ſubjici ſummæ poteſtati, ut quicquid contra ejus voluntatem fiat actus ſit privati: nam *ordinem* (ut dicunt philoſophi) *non dari niſi relatione ad aliquod primum.* Reſpiciunt quidem, non eſt negandum, ad

per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

perſonam regis omnes magiſtratus, & ab eo jus ſuum habent; ſed ad regis perſonam, hoc eſt, non ad hunc hominem ſimpliciter, ſed ad hominem juſtum. rex quidem inferioribus pro juſto eſt, dum non palam eſt injuſtus; juſtè agit, dum non palam nefariè: at cum ea agit aut jubet, quæ abſque controverſia ſcelerata, jam illa non agit ut rex. Sic etiam illud accipiendum; *rex nemini injuriam facit*, nimirum qua rex. quemadmodum Plato dixit, *magiſtratum non peccare qua magiſtratus eſt, ſed qua imperitus reipublicæ gerendæ, & mercenarius.* uti nec medicus, nec ſapiens, nec artifex quiſquam, qua medicus, ſapiens aut artifex peccat. At cum aliquem dignum ad imperia & præfecturas admovit, regis munia implevit: impio igitur & ſcelerato imperio etiamſi reſiſtat, non ideo excidit jure ſuo, non reſiſtit voluntati regis, ſed potius ei obſequitur: quando boni ve-

rique Principes, ut patet ex eorum reſcriptis, id magiſtratibus in mandatis dent, uti ſi quid injuſtum juſſerint, ne ſibi morem gerant, utque primam juſtitiæ, Proximam ſui rationem habere velint. manet illi cura populi major & principis concredita: tenetur magis monere eum, ſi quid offenſum titubatumque eſt; & ſicut furore correptum etiam invitum ſervare magis continuorum & amicorum quam cujuſlibet è vulgo partes ſunt, ſic in illa ſcelerum dementia præcipua magiſtratuam munia ſunt, nolentem etiam ad mentem reducere & ſanitatem. Nec alia de cauſa Trajanus *præfectum prætorio pugione contra ſe uti juſſit*, *ſi male imperaret*, quam quod intelligeret principum optimus illorum ante alios partes eſſe ſceleribus obviam ire principum, quibus vita eorum & ſalus commiſſa. Præterea magiſtratibus illis quibus datum eſt propius intueri reges magis de rei veritate

com-

compertum eſt. Vident oculis ſuis quæ alii ſæpe fidei alienæ credant oportet. Quare pluſculum quoque magiſtratibus juris eſſe non fruſtra dictum eſt: illis tamen qui vere magiſtratus ſunt. *in turbis enim ſeligenda ſunt* (ut monent veteres) *genera bonorum.* Idem jus eorum conciliorum qui regis voluntate in concilium adhibentur, & quibus non eſt jus plenum cenſendi ſed tantum deliberandi, aut qui jubentur comprobare aut ſubſcribere juſſis Principum. Tantum inſpectionis habent in acta principum, ne quid palam fiat contra rempublicam. Nam illi qui ſuo jure cenſent & verè ſenatorio jure utuntur, dividunt quodammodo cum rege ſummam rempublicam: qui ſunt ad primum genus referendi. Quæ cum ita ſint, tamen in tam lubrico & ad errandum prono loco inprimis prudentia opus eſt, ne temere ad arma devolantes prodigi ſanguinis, animarumque humanarum queîs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

nihil in terris pretioſius, civitatem aptam dignamque ſervire & in omnem licentiam vitiorum effuſam abſtrahere à ſervitio fruſtra conemur. Sed jus noſtrum potius dimittamus, quam illud magno innocentium malo tueamur, nedum ut fruſtra nitentes effundamus cum cruore alieno laborem noſtrum. Charitas enim in homines & pietas in patriam ſumma lex eſt. huic libertas, huic jura noſtra concedant. Hac jubente, patiamur lubentes quod fors iniqua cogit, & ſi ita neceſſe eſt, præbentes etiam fortiter jugulum ferrum recipiamus oportet. Etiamſi enim non ſit noſtrum præſtare quod alii delinquunt, neque illud exigant jura, illa tamen eſt virtus, illa ſanctitas Chriſtiana, ut nonnihil etiam ad ſe pertinere putet crimen alienum; niſi omni ope annitatur, quantum quidem poteſt, ne quid alii etiam hoſtes peccent. Illud quidem omnis ratio ſuadet, ut obſe-

crando

crando & deprecando primum omnia tentantes conteſtemur Deum homineſque nos cogi ad bellum, multa etiam paci ſtudentes remittamus, & ad extremum illud armorum auxilium pedetentim, inviti, & cum nulla eſt alia ratio expediendæ ſalutis, confugiamus: ſic denique ſumto jam bello, armis utamur, ut vitantes magis quam petentes, quantum licet, in noſtra nos arma colligamus & tecto latere diſcedamus; ſic reſiſtamus, ut appareat nihil nos malle quam ſi id liceat ad obſequium redire, quam projicere manu arma, quam non reſiſtere. Scutum enim magis quam gladius datus eſt: præſidium libertatis in hoc jure eſt, ad nos defendendos, non licentiæ ad impugnandos alios & dimittendum ſemper aliquid juris, quotiens cum illis contendimus, quibuſcum, ſi in officio forent, juſto ſacramento contendere non liceret, ne obſiſtendo ſceleri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

bus & propugnando jus noſtrum juris aliquid regii, quod ſacroſanctum eſt, violemus. Quod ſi jam per improbitatem ſatellitum regii ſceleris non liceat nobis declinatione quadam & corpore exire eorum tela, jure gentium licet nobis pœnam potius ſumere juſtam quam ut injuſtam ipſi ſubeamus. Cicero quidem longius fortaſſis progrederetur & regem jure occidi efficeret, cum ſic pro Rabirio argumentetur: *ſi interfici Saturninum nefas fuit* (erat is Trib. plebis) *arma ſumta eſſe contra Saturninum ſine ſcelere non poſſunt; ſi arma jure ſumta concedis, interfectum jure concedas neceſſe eſt.* Contra quem enim ſumta arma dicamus? an contra ſatellites regios? at illi juſſum exercent ſcelus, nec tam faciunt injuriam, cum faciunt, quam ille qui juſſit. Sed nos hic ſubſiſtimus & parcendum ante omnia principi cenſemus. non quod jus ejus, ut volunt noſtra mancipia, ſit inferre

in-

injuriam, poſſet enim jubere ut miniſtri exſequerentur; ſed quod perſona civitatis, tot jura, tanta dignitas in eum collata (quibus non ſtatim excidit in ſe aliquo admiſſo facinore, magnis enim ſæpe virtutibus illud penſatur) ſacroſanctum eum & ἄσυλον faciant. Sunt quædam tamen omnia & humanum modum prætergreſſa flagitia, ut animus ea liberalis & ingenuus ferre non poſſit, nec ſæpe aliter evitare quam ſi vim inferat iis quibus nefas eſt inferre, ut ſtuprum oblatum. Notum eſt judicium Marii de milite qui tribunum cognatum ejus occiderat: cum alioquin in militia miles qui vitem caſtigare ſe volenti centurioni tenuiſſet, mutaret militiam, qui ex induſtria fregiſſet vel intuliſſet centurioni manum, capite plecteretur. Nomen legatorum tam grave & ſanctum Romanis, ut ſi qui eos populus ſuperbius appellaſſet, *ei niſi publice ſatisfactum eſſet, bellum indiceretur.* Verres

tamen legatus P. R. quod puellam ingenuam ſtuprare molitus eſſet, ferro & igni impunè oppugnatus eſt à Lampſacenis: *tanta enim peccata ejus fuiſſe* ait Cicero, *ut expectare legitimum tempus ad ulciſcendum, & vim tantam doloris in poſterum differre non potuerint. Nolite per Deos*, inquit, *immortales exteras nationes hoc perfugio uti: quo niſi vos vindicatis neceſſario utentur*. Eſt tibi (ne tui oblitum me putes advocate impotentiæ) eſt, aude hoc negare, juſta uxor. an tu quoque in illam regnum regiæ libidini das? Si tyrannus aliquis, ut tibi tam bene de ſe merito doctori dignam referret gratiam, cubile tuum iniret & te coram uxori pudicitiam extorqueret, quid ageres? an hic oblitus nugarum à doctrina deſciſceres tua? an æquo animo patereris? ſed ego ridiculus ſum qui hoc quæram, cum magno certè honori duceres. eſt enim illud noſtrum genus ejus levitatis, ut ſicuti Græculi olim

Deo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Deorum ſuorum ſtupra, ſic hi regum ſuorum injuriam, non injuriam ſed illuſtre quoddam gentis decus & præclarum in imaginibus titulum æſtiment. At nobili puroque ſemine nati ut audiant flagitium, ut non toto animo commoti & generoſa quadam verecundia ſuffuſi incaleſcant? ſic Achilles, quum rapta Hippodamia quid facturus eſſet ab Ulyſſe interrogaretur, non verbis reſpondit, ſed ut Statius ait,

Illius ad capulum rediit manus & ſimul ingens
Impulit ora rubor.

Itaque veteres non tantum jus reſiſtendi ſed etiam ultionem in ejuſmodi caſu juſto dolori conceſſere; quod hæc levitas inviſa & odioſa & iniqua magis, quam robuſtiora illa ſcelera, quæ habent aliquam ſæpe qua ſe tueantur ſpeciem. Sævitia vicina eſt ſeveritati & exactæ juſtitiæ: & cum ea ſit regnantium conditio, ut multa merito ſollicita habeant & ſuſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cta, proſpicere publicæ tranquillitati & ſecuritati videtur. cupido auri obtentum habet, quaſi imperio paret ſubſidium. At Venus nefaria non habet quo veletur niſi ſecreto ſuo: nihil quod commiſſum regi, nihil quod ad rempublicam pertinet ei proximum. ſed velut detracta larva, juri, honori & exiſtimationi civium illudere videtur: & hanc ob cauſam, præterquam quod contemptui eſt, rerum converſioni & cædi regum ſæpius quam alia flagitia cauſam & initia dedit. Sed an præter hæc tam nefaria quicquam liceat civibus quam reſiſtere: an vero rex etiam in manifeſtis ſceleribus judiciorum legumque quibuſdam pœnis obligetur videamus. Ac quidem magnæ graveſque cauſæ id affirmare videntur. Primum enim illud minime dubium eſt, ſcelera eſſe ſcelera, flagitia flagitia, ubicunque illa & ſub quacumque perſona admittantur. criminum nomina fortaſſis adulatorum licentia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

at non naturam rei immutat, nec culpam; quam honos etiam & dignitas peccantis auget. nam claritudo generis, amplitudo ordinis, loci ſuperioris majeſtas, cum in illuſtri quodam & conſpicuo theatro ut publicum documentum ponant hominem, nocendique & juvandi majorem dent poteſtatem, illud efficiunt ut tam vitia ejus ſint majora & nocentiora quam virtutes præſtantiores & diviniores. tenuis humiliſque conditionis homines ſibi aut paucis peccant: at omnibus, qui in dignitate poſiti ſunt. illorum vitia oderunt homines & fugiunt: horum crimina fœdiſſimi quique laudant, mali imitantur, & ſæpe ne mediocriter quidem boni ſatis fugiunt; cum moribus magis quam legibus jubere videantur. illi ut jam velint non multis queunt nocere: hi vix paucis; cum quos vitiis non lædunt, lædant exemplo. & ſunt plerumque ipſa magnorum facinora magna (cum

nihil eis obſtet,) & quæ in privatis ira, in principibus crudelitas & bellum, quæ in privatis crudelitas, in principibus urbium & populorum excidium. Quare cum horum crimina multis partibus majora & magis noxia, graviores etiam pœnas iis proponere eadem æquitas videtur, quæ eorum præclaris laudandiſque actionibus ampliora & auguſtiora conſtituit præmia. Hominum infimorum virtutes ſæpe in obſcuro latent, regnantium labores rerum affluentia ſummiſque facultatibus ſuſtentantur, moleſtiæ ſummâ compenſatæ gloriâ mitigantur, virtutes ſummis honoribus æſtimantur & tantum non in cælum efferuntur. Quid vero indignius, quam eorundem recte facta maximis honoribus extolli & ſcelera ſupplicium omne effugere? quid iniquius, quam parva errata plecti, maxima pene honori eſſe, iiſdemque de cauſis alios puniri, alios ne appellari quidem? Jam nulla in re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

gem conſtituta pœna, quomodo læſorum non jam dico ultioni, ſed quod utique decet, ſecuritati, immo quomodo omnium ſecuritati proſpicietur? Adverſus cæteros homines, læſos facilius par conditio tuetur & mutuus metus: is qui gerit civitatis perſonam tantis ad nocendum viribus inſtructus, tot gladiis armatus eſt, ut cum unum per injuriam lædit, periculum in omnes intendat. Quomodo igitur conſuletur utilitati & tranquillitati publicæ, niſi ſupplicii metu contineatur, & ſi forte ſcelere ſe obligaverit, poteſtas iniqua & peccandi licentia eripiatur? Quod ſi exempli in publicum habenda eſt (ut eſt) ratio, in quo illud edi poteſt illuſtrius, quam in eo qui fortunis & honore ſupra omnes; in quo etiam juſtius edi, quam qui in oculis & ore omnium palam deliquit? Quid? quod illa crudelitas eſt, principem impunitate propoſita ſtimulo acriori quam fu-

furiarum tædis ad peſſima quæque agi, præcipitantem impelli, perditum proſterni. Vix enim ac ne vix quidem in tantis negotiis, in turba, in aula, ut jam maxime circumſcriptus, nedum liber & ſolutus, peccandi licentiâ, tantis undique illecebris obſeſſus, & in medio vitiorum regno, non à vero aberret niſi inſigni ab aliquo timore retineatur & in ordinem cogatur. Nec fruſtra ſapientes, *nullius magis ut pœnam ſuſcipiat intereſſe, quam illius ipſius qui in ſe ſuſcepit ſcelera; omnique ſupplicio nocenti gravius & atrocius ſupplicio eximi eſſe*, dixerunt. Cum igitur omnes juſtæ pœnæ cauſæ id ſuadeant, dixerit aliquis, peccata & crimina Principis quæri, aut ſaltem, ſi manifeſta ſint, vindicari in noxium debere. nam imperio eum ipſa quidem natura, ut jam ante diximus, abdicat: *Neque illud pro impunitate regis facere videtur, quod rex ſuperior eſt populo, populus ut inferior non idoneus qui ab eo*

pœnas ſumat. Si enim jam ſuperiorem eſſe concedamus, non utique niſi in illis ſuperior eſt, quæ ſpectant ad finem civitatis: non in manifeſtis facinoribus, quæ ſaluti civitatis ſunt contraria: par igitur, imo ſuperior & major in eo populus. & etiamſi judicia, qui Regem capitis arceſſant, non conſtituta, jus tamen naturæ, qua melior de pejore, innocens de nocente ſupplicium petit, valere debere videtur. Neque vero in argumentum juris trahendum, quod raro reges puniantur; quando partim inertia hominum, partim rei difficultate, ſæpe rei & tranquillitatis publicæ cauſa id forte omittatur. Sed hæc omnia facile refelluntur. Etiamſi enim regum ſcelera caſtigatione & animadverſione digna eſſe non negemus, eſſe qui in regem animadvertat in regno libero neminem certum eſt. Jus enim illud à natura profectum, quo de nocente innocens expetit pœnas, poteſtatem nobis quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

dem dat, non tamen jubet; abdicari & in alium transferri poteſt: itaque judiciis conſtitutis, cunctis non licet. Si igitur populus jus hoc regi tranſſcripſit, uti illo rectè & ordine non poteſt. Tranſcripſit autem regi, cum eum regem conſtituit, cum ei ſummum rerum arbitrium dedit; tum eum meliorem & præſtantiorem fecit. Rex enim officio toto populo præſtantior eſt, populus natura: melior eſt qui regit eo qui regitur, ſed eò quod eum regit; melior ille, cujus cauſa rex eſt, populus, ſed ita ut ſeipſum regere non poſſit. dum igitur eam populi curam gerit, ut melior ejus ſit conditio, quam ſi in ſua eſſet poteſtate, rex manet præſtantior. Verum quidem eſt ſcelerum ei nefariorum & perſpicuorum jus datum non eſſe. Sed tamen ob aliquot ſcelera non ſtatim ſceleſtus, nec ob unam atque alteram injuriam injuſtus eſt, ita ut rex eſſe deſinat. maximis enim re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

giiſque virtutibus iſta vitia vincuntur, ſæpe & obumbrantur: itaque dum publicæ ſaluti conſulit & populi felicitati, etiamſi aliquando humanitus aliquid patiatur rex, & præſtantior populo manet. Debet igitur initum cum eo pactum ratum religioſumque eſſe, quando graviori pœna affici non poteſt, ut non ſimul de ſolio detrudatur aut jus regium temeretur. Populus in regno libero omne jus adminiſtrandæ reipublicæ regi tradidit, non habet jus cogendi concilium & de republica conſulendi. de republica qui invito rege deliberant, deſciſcunt: de capite regis comitia invito rege haud dubiè, & de ſumma republica habentur. Non ergo hoc licet populo. Nam ſi iſtam diſceptationem ſibi voluiſſet reſervare, aut initio debuiſſet ferre judicem, aut jus conveniendi ejuſmodi caſu excipere: at neutrum fecit, non ergo voluit excipere. ſi excipere noluit, abdicavit; ſi abdicavit, jam illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

jus exercere non poteſt. Ac profecto graviſſimis de cauſis populus quem regnum coërcet impunitatem regi conceſſit cum ſumma reipublicæ procuratione. corruptus enim iſte populus paucis de rebus recte judicare poſſe videtur, neque enim alias omnem uni poteſtatem dediſſet: quæ ſane in iſtius perſona conſervari & quodammodo conſecrari debet, neque ambitioſorum cupiditati, neque contumacium pervicaciæ, neque malorum petulantiæ, neque temeritati multitudinis exponi. Eſt enim, in ejuſmodi præſertim turba, majus quiddam & difficilius quam imperiti ſuſpicentur, ad tantam ſe molem objicere: cum homo etiam communi quadam pravitate rebelle & contumax & imperii unum impatientiſſimum & idem ad turbandam rempublicam potentiſſimum animal ſit. neque eorum ſolum quæ cura & providentia humana præſtari queunt, ſed etiam eorum quæ in hominis poteſtate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſtate non ſunt, graviſſimus & acerrimus eſt exactor: & quaſi vim quandam divinam cum regendi ſui poteſtate tradiderit, quicquid cupit efflagitat, quicquid deſiderat imputat; belli externi vim, difficultatem annonæ, turbarum ſeditionumque tempeſtates, aëris cælique corruptionem, communes calamitates & temporis neceſſitates, quæque alia à vitiis hominum aut Dei numine mala immittuntur, quaſi culpa regnantum contracta incuſat. ut jam non admodum cum eo benè agatur, quod à cæteris pœnarum acerbitatibus immuni omnis publica fortuna ſit luenda. Immo cum mala adeo ex humana conditione ejici nequeant ut maxima hominum pars beata ſibi videatur, veniunt iis in odium bona ſua, inhiant ſemper rebus novis, omnem converſionem in parte felicitatis ponunt, ſemper mutare, nunquam pati imperia volunt. Quid? quod ſua etiam vitia, quæ vulgi iniquitas

 eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

eſt, rebus præſentibus imputant, & ipſas accuſant virtutes. hujus ſtolidæ ambitioni rex obſtiterit, iniquus eſt; illius avaritiæ non ſatisfactum, avarus eſt; illius patrimonium non ſufficit libidini & luxuriæ, rex accuſatur quod ea non alat: at ſi coërceat vitia, tyrannis dicitur; ſi indulgeat civibus, licentia eſt. ita quiſque ſua & aliena vitia Principi exprobrat, & unius invidia ab omnibus peccatur. Hos tu mihi judices conſtitues, qui jam damnaverunt antequam cognoſcant, qui afferunt domo judicia, & una ſententia omnes reges damnant? Hoc ſi recipiatur, non certo unquam imperio erunt contenti; turbæ ex turbis, factiones ex factionibus naſcentur: operæ perditorumque manus & quicumque, ſimul ſeditioſiſſimus quiſque dux concrepuerit, expeditus eſt, populus erit, & veri reges tyranni. Contra vero qui aſſentando multitudini graſſentur, bona locupletum obæratis dividant, ferant agra-

agrarias leges, novas tabulas inducant, ſagina & omnibus vitiis eum prolectent, qui denique maxime tyranni; ii demum, ſi omnia populari quadam trutina examinentur, reges erunt. Adde jam iniquitati judicum magnorum negotiorum difficultates, in quibus non facile ſed potius neceſſe errare, labi, peccare: adde iniquitatem, quod ſæpe trahit homines alieniſſimos ab eo in facinus inviſum ſummæ reipublicæ neceſſitas, & eos illa facere cogit, quæ, abſque eo eſſet, nunquam in animum induxiſſent: adde illas improbas regnantum moleſtias, illam laborioſam & exercitam ſtationem, illud onus, cui non ſunt humanæ cervices ferendo, illa circumſtantia undique pericula, quæ nullo queas conſilio averruncare. Quæ ſi introſpicerent & ponderarent homines, nec coruſcante diadematis fulgore præſtringerentur oculi, & regii nominis ſono & ſtrepitu, velut dulci quodam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

furore objecto, mente incitarentur, qui ſuſcipere cuncta regendi laborem & ſummam rempublicam tractare vellet, nemo inveniretur. Nam nullo frui otio, ut omnibus otium faciant; curare publica tanquam ſua, ſua tanquam aliena; cum inſidiis ipſi appetantur, ne cui in civitate inſidiæ fiant providere; cum odium referant, omnes amore complecti; cum male audiant, bene facere; cum traducantur, juſti eſſe: hæc profecto, quæ ſumma reſpublica poſtulat, non niſi divinorum hominum & magnorum virorum ſunt. Eaque de cauſa antiquitas reges *genus & ſanguinem Deorum* finxiſſe, & vita functorum memoriam Deorum honore conſecraſſe videtur: quod tenendo terrarum imperium, non tantum vim & numen quodammodo Dei tenere; ſed quum æternum illud ſummumque Numen beneficiis præcipue ſuis agnoſceretur, illos magnis in publicum meritis ei cum maximè ſimi-

ſimiles eſſe & dignos immortalitate judicaverunt, & proinde, quod unum potuerunt, fecere æternam memoriam eorum & eos in numero Deorum collocaverunt. Quod ſi quis iſtos antiquos non magnis regum ſuorum vitiis ignoviſſe putat, multum fallitur. Percenſeat vitam eorum, qui principes Dii habentur, ſtupra, parricidia, iras inexpiabiles & injuſtas & pene facinora pluſquam humana inveniet. Nimirum etiam tales principes, dum habeant quæ ea adæquent virtutes, & reipublicæ ſaluti in honore habendos non ignoravere. Nam ſi etiam privatorum erroribus ob magna eorum merita ſæpe ignoſcitur, quis non regia peccata ſummæ reipublicæ putet condonanda, cujus ſalus in ejus ſæpe ſalute poſita eſt, non virtutibus, quæ non poſſunt eſſe niſi maximæ; præſertim cum in tam lubrico ad peccandum loco conſiſtat, nec ab eo pœna ſumi niſi ſummo cum publico periculo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

culo poſſit. Nam quomodo ſumeretur? deberet utique trahi in judicium, accuſari & defendi, ut pœna peccatis reſponderet. Quo ordine imperii turbato, reſpublica ſine capite eſſet, corrumperetur omne regnantis officium, nec jam rex ſed ipſa dignitas regia pedibus profanis ſubjiceretur, & ſumma imperii ad judices tranſiret. diviſum certe imperium cum rege haberent, quod totum penes regem in hoc genere civitatis populus eſſe voluit. Ceſſat igitur finis animadverſionis præcipuus, publica tranquillitas, quæ longe magis mutatione reipublicæ quam unius atque alterius injuſta cæde turbatur. Atqui ut jam demus, ſalva rep. poſſe in regem animadverti, illa vi qua ad coërcendos cæteros inſtructus eſt abuteretur, & ad peſſimos tranſiret metu pœnæ, id periculum erit. Quibus de cauſis optimum in regno libero viſum civibus (neque enim jam quæro quid optimum

mum

mum ſit, ſed quid illis viſum ſit) regem impune peccare poſſe. Quare omnino ita habendum eſt; regi niſi, ſumma cum modeſtia reſiſti non poſſe, puniri omnino non poſſe, dum quidem rex eſt. Excreſcunt tamen aliquando in eam molem ſcelera & flagitia ut regno excidat, nec reipublicæ aliter ſubveniri poſſit, quam ſi is qui rex eſſe deſiiit tyrannide dejiciatur. Ac primum quidem ipſa ratio omnes docet, illum qui hoſtiliter ſe gerat, turbet reip. ordinem, cujus cuſtos eſt, ſcelerum & omnium facinorum licentiam permittat, divina & humana proculcet, eum regem non eſſe, & magis à furiis & dementia ſua quam à populo abdicari. Jam ſi illa ob quæ jure illi reſiſti poteſt non temeraſſe contentus, contumaciam peccatis ſuis adjungat, injuriam majori injuria cumulet, agat rapiatque rempublicam, juſte reſiſtentes impio bello perſequatur, hoſtem ex rege fieri manifeſtum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Hoſtis autem idem & rex eſſe nequit, nec reſpublica interim ſine rectore eſſe: quo cives neceſſario alium in ejus ſubſtituunt locum. Si enim creſcant de die in diem regnantis ſcelera, aliter ei reſiſti non poteſt, quam ſi palam atque ex edicto bellum cum eo geratur; nec aliter affecta proſtrataque reſpublica extolli poteſt quam is denique de ſolio detrudatur. Quamobrem veteres iidem illi qui regium nomen ſanctum habuere & magnum, genus impium & peſtiferum tyrannorum tanto odio perſecuti ſunt, ut non tantum licitum eſſe, ſed præclarum & æterno honore dignum facinus crederent, eos de medio tollere. Longum ſit enarrare, quot philoſophi, quot philoſophorum diſcipuli hanc laudem affectarint, quot re ipſa tyrannos à publicis cervicibus averterint. Theophraſtus bis patriam à tyrannide liberavit: Pythagoræ conſilio Phalaris dejectus: Plato Dionem adverſus Dionyſium Syracu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

racuſanum doctrinis conſiliiſque ſuis armavit: atque adeo ſi ætas ſuſtinuiſſet, ut ex ſcriptis ejus patet, manus & tela ſua ei libens ad tam præclarum opus commodaſſet. Atque hoc adeo in gloria habitum & virtute, ut Plutarchus (at quantus vir!) ignavæ illi & voluptariæ Epicuri ſcholæ ceu ingens probrum, *neminem ex ea virum fortem & tyrannicidam prodiiſſe*, objiciat. Nec alio magis nomine Hercules ad Deos fama ſublatus, quam quod tot tyrannos, tot humana facie & forma belluas interfecerit: ratus nullum gratiorem Dîs liquorem libari, nullum acceptius fieri ſacrum, & ut ipſius apud Senecam verbis utamur,

Victima haud ulla amplior
Poteſt magiſque opima mactari Jovi,
Quam rex iniquus.

In omni Græcia ſolemne fuit, ſtatuas, coronas Deorumque honores tyrannicidis attribuere. Quod ſi privatis hominibus tantum laudis, impoten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tes tyrannos ex hominum communitate exturbare, quis adeo vecors eſt, qui neget rectè & ordine à ſenatu aut concilio aliquo pœnas iis irrogari? Raro illud, non nego, factum: quod tyranni ſenatum fere corrumpant & omnem ei vim auferant; tum quod non opus eſt. quippe ſi cauſa ejus eget diſceptatione, in judicium trahi non debet: ſi non eget & palam tyrannus eſt, jam quilibet civis in hoſtem miles eſt. Tamen ſi fieri poſſit, & de re compertum ſit publica potius quam privata manu pœnam repeti, civilius, æquius & moderatius eſſe dubium non eſt. *Ejuſmodi autem factum nunquam jus aut juſtitiam appellatam ait*, cum tot tyranni, immo fere quotquot fuere tyranni Deo hominibuſque plaudentibus & approbantibus publicis cervicibus dejecti? *ne Neronis quidem damnationem probatam?* os hominis! Capta Dei hominumq; conſenſu adverſus eum arma, & tot oſtentis comprobata,
ut

ut nemini dubium eſſet, ait Suetonius, *juſtum piumque & faventibus Dîs bellum ſuſcipi.* Satyricus enarratis quibus ille orbem terræ polluebat & imperium infamabat fœditatibus,

Quid enim Virginius armis
Debuit ulciſci magis, aut cum Vindice Galba?

De ſententia in eum dicta à ſenatu apud Julium Capitolinum Albinus: *Uſque ad Neronem*, inquit, *ſenatus autoritas valuit, qui ſordidum & impurum Principem damnare non timuit, quum ſententiæ in eum dictæ ſunt qui vitæ neciſque poteſtatem atque imperium tunc tenebat.* Commodo occiſo, præſtantiſſimi Romanorum *jacere tyrannum debitaſque luiſſe pœnas; ea abs ſe paſſum quæ in ſe molitus fuerat* clamabant *eundemque hoſtem patriæ, parricidam, hoſtem Deorum, carnificem ſenatus* vocabant. Virgilius:

Ergo omnis furiis ſurrexit Etruria juſtis:
Regem ad ſupplicium præſenti Marte repoſcunt.

Sed

Sed quid hæc ego refello, cum ille invaſorum etiam, non tantum eorum qui imperium juſto titulo accepêre, cauſam agens, ne de iis quidem juſtas pœnas repeti permittat? Invehitur in Cæſaris interfectores, cædem quam Cicero & illius ævi ſapientiſſimi & optimi ad cælum extulerunt, quam Brutus & Caſſius, illi *Romanorum ultimi*, fecerunt, *parricidium* appellat: & non tantum ſententia ſed ipſis pænè verbis unius teterrimi & ſceleratiſſimi latronis & gladiatoris, *apparuiſſe Dei numen, & interfectores pœnas dediſſe cineri atque oſſibus patriæ parentis*, dicit. Pro Carolo tu hæc, ô acute noſter, an pro Parlamento Angliæ? lædis an laudas eos contra quos ſcribis? Quid enim glorioſius & ad famam illuſtrius? quid in poſterum tutius illis, quos impugnas, quam qualiumcunque rectorum ſalutem Deo curæ? quam tyrannos, qui quicquam in tyrannos moliantur? quam lege ſa-

cra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cra vetitum eſſe, contra quoſcunque dominantes inſurgere? Sed omittamus iſta, quæ nihil ad nos, præſertim cum ſi ineptias & repugnantias tuas congerere libeat, finis nullus ſit futurus. nam illud tantum oſtendere voluimus, quod jam ante diximus & oſtendimus, nullum iis genus imperii juſtum videri niſi unius, nec unius quidem præter tyrannidem. Quod ut plenius tractemus nec quicquam dignum relatu intactum omittamus, age obſequamur in tantum iis, ut illa quæ pro tyrannorum, ſi Dîs placet, ſanctitate, quibus probent ne reſiſti iis nedum puniri poſſe, afferunt, perſequamur & ordine refutemus. *Tyrannis*, inquit, *minus malum eſt bello civili. atqui ſi tyrannis reſiſtatur aut ſi occidantur, bellum civile oritur. ergo ferenda potius tyrannis*. Tibi fortaſſis, atque addictis mancipiis, qui neſcio quid in hac tyrannica doctrina ſpeculæ habent, cur ſe unos amicos tyrannis fore putant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tant, tyrannis non gravis, aut bello minus malum videtur. at non ita ſentiunt homines, quibus non lippiunt oculi, qui quid in quaque re ſit vident, & quod ſentiunt id audent proloqui. Tu quid ſit tyrannis neſcis an diſſimulas? tu tyrannide ullum in terris majus & peſtilentius malum eſſe dicis? Propone tibi animo Neronem aut Caligulam aliquem. quanquam quomodo propones rem ſimul infinitam & omnium ſcelerum complementum, & unam ſua pœne imagine majorem & graviorem? Propone tamen aliquem ſubeuntem dulcibus flagitiis animos primò multitudinis, & infimis multa concedentem ut ſibi omnia liceant. hunc primum compoſitis & fictis criminibus & ſubornatis teſtibus ut quiſque fortunis amplus & copiis locuples ita evertere: deinde optimos & ſapientiſſimos peti, quod iſti quorſum hæc tendant, pervideant, neque ſæpe diſſimulent, aut ſi diſſimu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

mulent, aut ſi diſſimulent, ipſo tamen ſilentio, morum & vitæ diſſimilitudine & meritis ſuis tyrannidem exprobrent. hi ergo variis criminibus tanquam contumaces & ſeditioſi differuntur, aut ſi crimina deſint rei virtutis fiunt, quaſi hoc ſtudio plus quam civilia agitent. trahuntur ad ſpectandum plaudendumque ſceleribus: non his ſuo ore prodire, non miſeris ſuam publicamque fortunam vel imbellibus lacrymis teſtari licet: notantur gemitus, ſubſcribuntur fletus, ipſi denique obtutus accuſantur, & fit commune innocentium crimen ſcelera non probaſſe. illud enim omnibus ſæviendi polluendique modis primum agitur, ut quicquid præclarum & laude dignum è medio tollatur & cum claris hominibus omnes bonæ artes; nec quicquam uſquam occurrat niſi viliſſimum peſſimumque & dignum ſervitute. Quod ſi nullum aliud tyrannis malum haberet quam

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quod optimos pervertit, ad quorum ſalutem omnes in civitate leges potiſſimum referri debent, tamen omni bello injuſtior & ſceleratior (nam illud bonum ſaltem à malo quos auferat non diſtinguit) merito haberetur. Sed profecto bonis ablatis aut ſitu abſtruſis & ſepultis, quaſi frenis ſolutis demum erumpunt ſcelera & ſceleſti, protrahuntur peſſimi quique, & ut quiſque inteſtabilis & in inſontium perniciem ingenioſus, ita honoribus extollitur: replentur omnia delatoribus & accuſatoribus; nullum tempus, nulla res, nullus locus liber metu, non lares familiares, non joca, non convivia, omnia ſollicita ſuſpicione, ſuſpenſa metu: non amici ab amicis, non domini à ſervis, non cognati à cognatis, non parentes denique à filiis tuti eſſe; ut plane fides omnis & ſermonis commercium, hoc eſt ipſa vitæ ſocietas de vita & civitate tollatur. Quæritur enim ubique ſævitiæ materia, & quod

quod primum neceſſitas videbatur, mox fit uſus & mos imperandi, & denique voluptas. neque enim aliis alios delegare, aliorum ſanguinem ipſi lambere ſatis habent crudelitatis artifices, niſi exerceant ferale ingenium, in feritatis & ſævitiæ novitate luxurient, & voluptatem in injuſtitia ponant ſuam; quaſi periret ſupplicium, ſi more quiſquam & lege plecteretur. Jam, quaſi victores triumphanteſque de omni honeſtate, incedere ſuperbo & inimico vultu reſupini, latera latronum tyrannorumque externorum exercitu ſepti, vehi inter laniata cæſorum & ſpoliata ſuperſtitum cadavera, & quaſi inter hoſtium ſpolia tripudiare & exſultare, & diis & hominibus & animo ſuo iratis frui: cum in tanta libidine ſæviendi hoc unum dolere videantur, quod non magis furere & ſævire, quod non ſingulos plus quam ſemel interficere, non tam fortes & miſeros vivere poſſint jube-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

re, quam felices & ignavos mori. Quid dicam quomodo locupletibus boniſque ſublatis paſſim in omnes irruant, & repleto exhauſtoque iterum per ſcelera ærario petatur totus populus. exquiruntur novi ſinus & varia prædandi vocabula: datur jus omni ſtipatorum ſatellitumque libidini & licentiæ, ut palam ſine ullo pudore graſſentur. non certus ſtatus, non genus, non ſexus, non orbitas, non liberi, non denique inopia miſeris prodeſſe: res ad prædam, corpora ad libidinem proponi, virgines rapi, matronæ trahi, vis pueris inferri, ejulantium turba omnia plena eſſe; nec alia facies civitatis quam captæ & excidio deſtinatæ, niſi quod diutius miſeriuſque & inulta perit. Quid quod ſæpe cum tales eſſent tyranni, qui vix homines haberi debuerint, ſe vivos in Deos referri, ſibi flamines, ſacerdotes, altaria, ſublata omni ſuperûm religione, decerni juſſerunt: illudentes

quo-

quotidie prodigiis, portentis, cometis & aliis; quaſi cæde & majoribus facinoribus priora facinora expiare & iſta procurare poſſent, aut ultro Deis minantibus terrorem inferre conarentur. hoc enim agunt, ut nihil ſanctum ſit præter ſuperbam profanamque dominationem. Hæc ſibi aliquis (& quam pauca ex multis attigi) animo proponat, hunc tyrannicæ crudelitatis vultum imaginetur, & ſic componat tyrannidem bello civili. Grave hoc & acerbum & deteſtandum non nego, ſed ut graviora & acerbiora & magis deteſtanda evitet mala ſæpe neceſſarium eſt. Tyrannus enim ſcelera admittit, ut liceat majora admittere & pejora, & quæ contumeliæ videntur & injuriæ, ad contumelias & injurias gradus tantum ſunt. Bellum civile mutat ſæpe formam reipublicæ, aliquando & in pejus priorem: Tyrannis omnium peſſima eſt, & inter corruptas formas, ſi tamen illæ

ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſunt formæ, corruptiſſima; *cum habeat*, ut & dixit Ariſtoteles, *& dominationis paucorum & popularis tyrannidis mala una omnia.* Fert ſcelera omnis generis domeſtici belli licentia, ſed fert illa, ut belli licentia, ut hoſtilis, denique pro ſceleribus. ſub impotenti dominatu rapere, ſpoliare, occidere, imperium; ſolitudo, pax & tranquillitas; publica vis contra omne fas inlata, jus appellatur: neque tantum ſcelera pati, ſed, quod atrociſſimum eſt, laudare & pro virtutibus pene habere neceſſe eſt. adeoque rerum vocabula & res confundit, ut omne boni malique diſcrimen tollat; & cum leges conſervare civitates ſoleant, legibus civitates evertit; & cum injuſtitia evertere ſoleat, per injuriam eam, ut ſibi quidem videtur, ſervat. In bello eſt aliqua virtus, quæ plerumque ſibi fortunam facit; & ſi non optimi, at fortiſſimi dominantur: in tyrannide peſſimi non tantum optimis prævalent,
ſed

ſed ignaviſſimi fœdiſſimique de fortiſſimis viris ſpolia tanquam de victis capiunt, & non tam de civibus quam de omni virtute triumphant. Itaque etiamſi tantum malum civile bellum ſit, ut vix quicquam addi poſſe videatur, tamen vix ulla in terris natio hominum eſt, quæ non ad excutiendum ſuperbæ dominationis jugum bellum aliquando ſumſerit; minus hoc malum teſtata & illius eſſe remedium. Viderunt enim illud altiores radices habere, hujus detrimenta brevi reconcinnari: cum belli malis ad tempus ſe conflictari, impotenti dominatione perpetuæ ſervituti addici, & non tantum in præſentes ſed etiam in poſt futuros & natorum natos pœnas componi.

Plus eſt quam vita ſaluſque
Quod perit: in totum mundi proſternimur ævum,
Vincitur his gladiis omnis, quæ ſerviet, ætas.

Dimiſſa quidem libertate, non modo

do ſtatum ſed vitam nullam eſſe; & quaſi de Deo, de religione, de juſtitia, pietate nihil certum definitumque, ſed omnia ſint in libidine unius, ſe brutis aſſimulari & plane pluſquam vitam amittere crediderunt: itaque ſi quies rerum, æternitas gentium eo conſtitui poſſet, tamen conſtituendum non eſſe. Nam illa omnia mala quæ habet civile & domeſticum, belli mala ſunt; & ideo atrociora videntur & ſunt quia à cive in civem admittuntur. alioquin vix ullum civile bellum eſt, quod adæquat mala quæ ab externo hoſte inferuntur, niſi quod certior clades eſt; penes utram enim partem victoria, certa eſt reipublicæ clades. nam quid alioquin eſt, quod ad belli nomen addi poſſit? Quid eſt per Deum bellum? ponderant iſti homines an ſortiuntur quæ dicunt? non certa clades nocentium atque innocentium? non enim bellum geri poteſt, ut non ea lues fœminas, pue-

pueros alioſque qui ad rempublicam non admittuntur enecet; imo bonos, qui injuſtitiæ publicæ quantum in ipſis fuit omni ope obſtitêre, nec quicquam deliquere, niſi quod cum malis eadem civitate utantur. Tela enim ſine judicio, ſine diſcrimine pleraque inferuntur vulnera: machinæ certe bellicæ & urbium expugnationes omnes petunt: illa denique mala, fames contagioſa, quæque alia caſtra ſequuntur, nemini parcunt. Adminiſtretur bellum quanta maxima poteſt ratione & diſciplina, nulla cura, nulla ars ducis hanc Marti infamiam demere poteſt: ſcelera & flagitia & inſontium pœnas armata velut manu ſibi aſſerit; nec magis ſine his bellum quam ſine armis geri poterit. Illam antiquam diſciplinam, illam priſcorum ducum ſanctitatem mihi hic quis nominat? laudes ſunt iſtæ ex horum flagitiis non ſuis natæ meritis. nam quod effuſâ pollutâque licentiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

pleraque bella ingentem invidiam accendant, qui rem malam aliqua conditione tolerabilem facit, is quidem merito magnus, præclarus & divinus habetur. Bellum, inquis, iſta non ſequitur, ſed caſu eveniunt: quaſi non neceſſario comitentur. tu caveam emittes & dices non culpa tua ſævire in homines belluas? tu carceres effundes & per te factum ut ſceleroſi graſſentur negabis? cum jus tibi ſit pœnam à noxio capite petere, tu illam per innocentis latus petes, & ſatis erit tibi non fuiſſe deſtinatum innocentem ferire? Et loquor de juſto & pio bello, de ſancta diſciplina. nam ut hodie quidem plerique bellantur, extollitur ſignum omnis licentiæ, & uno edicto ad omnia ſcelera flagitiaque furor emittitur. Lex illa qua nocens punitur ejus generis, ut non ſemper obliget. arctioribus nos vinculis conſtringit nec ullam patitur exceptionem, quæ jubet inſontem lædere neminem. Cui enim ſcelera

coër-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

coërcendi & ſceleratam puniendi ſtirpem jus, illi profecto jus non eſt ſcelerum, & eorum facta imitandi quos perſequitur. Bellum tamen quæ odio proſequitur in aliis ea in ſe diſſimulat, vim injuſtam deteſtatur & facit, inſontes protegit & proculcat. Quod ſi tantum malum tamen unquam licitum eſt, in neminem certe magis licitum eſt quam in illum qui pejus quam bellum facit, qui non trahit inſontium cladem ſed eam petit, hoc eſt in tyrannum: qui infert bellum non tam toti civitati, in qua etiam multi ſunt extrema meriti (quanquam etiam infert toti civitati) quam ex profeſſo bonis. ac habet hoc, quantumvis deteſtandum, bellum civile, quod quidem juſtum, ut parcat iis quantum poteſt qui quieſcunt, quod liceat partes bonorum ſequi, quod denique major bonorum pars cito ad leges redit. Sed fac pejus eſſe tyrannide bellum civile. Non ſemper oritur illud ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tyrannus petitur, in populo præſertim non corrupto, qui modeſtia & conſenſu ſæpe jus ſuum obtinet (cujus rei egregia exempla habemus in ſeceſſionibus Romani populi) ſæpe bellum cæde tyranni defungitur & rempublicam in ſervitutem elapſam in priorem ſtatum reſtituit. Fac etiam oriri, cujus illud crimen erit? illius utique qui in corpore civium conculcat jura & vim nefariam infert, non illius qui injuriam & vim vi defendit. Fac etiam ad arma civilia cives ſæpe non recte deſcendere, quia corruptus eſt populus, nec ulla in civilibus armis ſpes niſi ut ex malo in majus malum cadant: non ideo tamen regum erit, eſſe tyrannos; nec populorum, omnia pati. Nam etiamſi jus ſuum ob evitandum majus malum civibus dimittendum eſt, tamen non minus id eorum jus eſt. alioquin & latronum jus fuerit omnia inferre ſcelera, ſi ex operis & ergaſtulis tantam manum collegerint,

rint, ut pejus ſibi conſulant cives ſi iis reſiſtant quam ſi cedant: & contra civibus omnem latronum inſolentiam & violentiam pati neceſſe erit. Tu civium jus vocabis, quod aliquando iniquitate temporum ultimi pati neceſſe eſt? tu regum, quod peſſimi unquam mortalium admiſere? quid ſceleroſius, quid omni cruce & tyrannide dignius fingi poteſt? Quæ cum tam nefaria dictu & iniqua ſint, tamen ſi jus eſſent, neſcio an admittenda eſſent, quia naturæ humanæ ita adverſantur ut populi ea ferre nec velint nec poſſint: neque enim iniquum tantum eſt, ſed etiam turbat rempublicam, quando, ut jam ante diximus, nulla ratione effici hoc poteſt ut juſtum & ferendum videatur. Illud quidem facile efficiunt iſti doctores, ut cum potentia & felicitas tantum mentibus caliginis objiciant, ſe ſupra naturam extollant qui vident ſe ſupra omnes poſitos, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

in omnes ſe libidines projiciant: nam ita comparatum eſſe experientia comprobatum eſt. At homines, ubi id liceat, in licentia effreni, libidinibus & petulantia maximam partem felicitatem aliquam ponunt: nec fere alia de cauſa ſe continent, quam quod nomen & famam hominum conſenſu condemnata æſtiment. Quid igitur fiet in tanta licentia peccandi, ſi, ſicuti Thraſymachus apud Platonem *juſtitiam* definit *quod conducit potentiori*, ſic nos jus eſſe quicquid libuit ſtatuentes, pulchrum & ſanctum illud nomen ad ipſa vitia traducamus; ſi metum regibus ex ſubjectis ſed etiam infamiæ tollamus? Nonne ut impuriſſimæ quæque olim voluptates Epicuri nomine prætexebant culpas ſuas, ſic impotentiſſimis & nequiſſimis allubeſcet hoc *juris* vocabulum, obtegent divina & humana omnia, nihil ſancti neque penſi habebunt? At illud profecto nec inſanis clamoribus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

bus, nec frivolis perficient cavillationibus ut civibus non res, non jura, non vita in pretio, ut mala non videantur quæ ſunt mala, ut denique non à regio illo, quando ita lubet vocare, jure provocent ad jus naturæ, & re ad manus revocata libertatem experiantur. Turbas igitur & tumultus inducunt, ruinas & converſiones rerum, & ut multum perſuadeant id adipiſcuntur, ut lædatur quidem ſæpius patientia, ſed & læſa tandem in majorem vertat furorem, biſque intereat reſp. ſemel tyrannide, iterum bello civili. Nam ſi tyranno nimium diu graſſari permittatur, nec obviam eatur malo, jam ſolet ita corrumpi reſpublica ut ſine excidio & interitu ſubveniri ei non poſſit. Parcant igitur diſſeminare noxiam opinionem, nec tantum univerſæ reipublicæ ſed etiam ipſis regibus miſerrimam importaturam peſtem, quaſi nihil ſit poſſe non omnia poſſe: parcant ty-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

rannorum linguâ ſeditionem vocare, quod eſt odium ſervitutis, nec jactent denique pacem & tranquillitatem publicam, quibus non tantum majora bona auferunt ſed etiam ipſam. illis enim iiſdem quibus jus certum, quibus libertas, quibus leges, quibus dignitas, illis inprimis otium eſt propoſitum, & dum nec pactum ſervitutis falſo nomine pacem, nec injuſtitiam jus ſinunt vocari, veram pacem civitatis, verum jus regum civiumque conſtituunt. Tu mihi hic ſatis habes plauſtra conviciorum in populum effundere. *illa*, ais, *beſtia quæ populus vocatur*. putares regem aliquem, imo ſuperbiſſimum & conſceleratum tyrannum, (non enim ſic reges loquuntur) oppreſſos miſereque vexatos cives contumelioſe appellare, non unum impudentiſſimum aſſentatorem; membrum ſane illius beſtiæ (quippe qui reipublicæ ſummam non teneat) ſed obſcœnum & pudendum. Non ſine

ſine cauſa tamen beſtiam vocas, quem beſtiarum inſtar haberi vis populum. Quid tamen, miſer, omne venenum acerbitatis effundens dicere potuiſti, quod non jam ego, ſed tot rerum prudentiſſimi ſcriptores de regibus certatim dixerint? Judicio caret populus. vetus eſt: *aut regem aut fatuum naſci oportere*, &, *adeo fatuus erat ut regnare poſſet.*

Iniquus populus.

Durus & veri inſolens
Ad recta flecti regius neſcit tumor.
Ne jura fidemque
Reſpectumque Dei veteris ſperaveris aulæ,
Nil pudet aſſuetis ſceptro.

Regem eſſe hominem, à quo impetres ubi jus, ubi injuria opus ſit, illi ipſi regum fautores apud Livium, qui Tarquinios in cervices publicas recipere conjurarant, cum regnum laudarent, dicebant. quid? *quod boni quam mali ſuſpectiores, & ut quiſque piſſimè fecit maximè tutus, ut quiſque diſtrictior*

accuſator ita ſacroſanctus, &

Ignota tibi ſunt jura regnorum haud nova,
Nobis maligni judices, æqui ſibi?

Licentioſum vulgus: & reges

Id eſſe regni maximum pignus putant,
Si quicquid aliis non licet, ſolis licet.

Notum eſt illud mimi: *Omnes bonos principes in uno annulo deſcribi atque depingi poſſe*. Atqui his & ſimilibus dictis plena ſunt magnorum auctorum monumenta, quæ facile ſit reponere contra ejuſmodi nugas quæ in populum evomis, ſi id ageretur. nam ſi ideo populus non eſt idoneus qui jus ſuum tueatur, qui erunt principes iiſdem criminibus celebrati? An idem juſtum in principe & iniquum in populo? an eadem vitia principes ſupra omnes homines attollent, populum infra conditionem humanam dejicient? Aut ſobrie ſaneque de utriſque loquare aut utriſque convitieris oportet. Sed hæc tua propria laus, condemnaviſſe ſine cauſa to-

tum

tum populum. Cæteri enim, quibus maxime iniquis uſus eſt populus, aliquod tamen deligendi magiſtratus & rationes inſpiciendi judicium ei reliquerunt: tu ipſum ſenſum communem inſanâ opinione tuâ à populo abjudicas, etiam illo qui ſuæ eſt poteſtatis, negando eum etiam regem facere, cum facit. Nam cum alibi fortitudine aut prudentia eximios deligat, haſce ei ſuas virtutes non populum regnum dare; cum alibi forma & vultu emendatiſſimum, præclaram faciem non populum ad imperium provehere; cum alibi ſortibus de rege eligendo conſulatur, beneficium ſortium non populi eſſe imperium. O nugas, ô ineptias, quibus nihil ineptius & nugacius fingi poteſt. hæc tot abſque controverſia principem nugatorum faciunt. Qui facit regem, ille dat jus regnandi. forma igitur excellens aut robur corporis animique dant te judice, ubi illa ſequitur populus, jus ad regnum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

& qui iis præditus, etiamſi non ſit nominatus, jus regni habet. quod ſi aliquis populus nugas reſpiciat & ineptias, ejus tu tuo jure rex eſſes. vide ſtultitiam. Reſpicit, nemo negat, populus, cum prodit regem, virtutes aut ſpecies virtutum aut dotes aliquas quæ præclaræ videntur & ob iſta præfert eum, quem prodit, cæteris ſed idem facit quicunque eligit. An rex, cum alicui ſummam belli adminiſtrandi aut aliquam committit provinciam, aut aliquem ad honores admovet, non idem facit? an unus ſine cauſa, ſine ratione quid agat ignorat? Quod ſi reſpicit aliquid, jam te auctore nihil regi debebit, qui honore aliquo auctus. non enim rex eum fecit ſed ſuæ illæ, quas rex reſpexit, virtutes. Eodem modo omnis grati animi obligatio de rerum natura tolleretur. non enim qui accepit beneficium, ei qui præſtitit debebit, ſed ſuis meritis cauſiſque, propter quæ accepit. *At enim*

ſcien-

ſcientiam regnandi quam non habet dare non poteſt populus. quaſi rex artes imperatorias, etiam callidus earum, aut alias dotes quas habet dono dare poſſit, ut ne dicam quod ſæpe iis deſtitutus eſt. *Ejuſdem pretii eſt, populum nobilitatem, quia non habet, dare non poſſe:* itaque in populari civitatis ſtatu ex cenſu nobilitatem eſſe. quaſi iſtuc aut ſemper fiat, aut neceſſario, aut cenſus per ſe nobilitet & non populi dominantis lex? Quid tu vocas ſodes nobilitatem? an tranſmiſſam à majoribus dignitatem & multas imagines? at illa dari nequeunt ei qui eas non habet beneficio parentum. an locum & ordinem in civitate principem? hunc vero ſive unus, ſive pauci, ſive multi dent quid refert, dum ſumma penes eos ſit reſpublica & jus legum ferendarum qui dant. eum enim quiſque locum in civitate tenet, eâ nobilitate eſt, qua illi eum eſſe recte & ordine juſſerunt. Sed nimii ſumus; neque enim

men-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

mentis quiſquam compos hæc ut refellamus exiget, & nos jam pridem pudet ineptiarum, cum de jure loquamur. Hoc tamen etiam ridiculum, quod ut omnia facta populi in vitium trahat, omnia quæ Populus Romanus in libertate ſenſit domeſtica mala, atque adeo poſt tot ſecula à Cinnis, Syllis, Mariis accepit, pœnam mutati ſtatus & regum exterminatorum fuiſſe ſtatuit: nec ſic tamen expiare tantum facinus potuiſſe, niſi res ad unius imperium recidiſſet. Tum igitur bene, opinor, & beate illis fuit. Auguſti patienter tolerati Tiberius, Tiberii Caius, egregia verò pretia. At quæ illa antiqua rep. domeſtica & inteſtina mala? quod illud domi ſupplicium? nam foris quidem de die in diem imperium propagaverunt. Exarſere, non negandum eſt, A. Virginio & T. Vetuſio Coſſ. in ſeditionem, ſed quæ illa ſeditio? quod illud civile bellum? quod tam atrox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

malum? *Rixa* verius, ait Livius, quam ſeditio, *quæ interventu Coſſ. facile ſedata: in qua ſine lapide, ſine telo, plus clamoris atque irarum quam injuriæ fuerat.* Seceſſit bis populus. Magna opinor clades. *Ea*, inquit idem autor, *populi modeſtia, ut nihil violaret, omnem magis in æquitate rei quam in armis ſpem reponeret.* Ac illud quidem inter omnes conſtat, Romanos ea tempeſtate qua regibus expulſis libertatem inſtituerunt, non nimis quidem dites æris (quod tibi, puto, ultimum in malis videtur) ſed queis opibus veros bonoſque cives pollere decet, egregiis ſanctiſque moribus & bonis exemplis ditiſſimos fuiſſe, placidéque & modeſtè inter ſe rempublicam tractaviſſe: at cum ad unum imperium omnia redierunt, vix quicquam in civitate ſanctum & honeſtum ſuperfuiſſe, adeò ut ipſa illorum temporum vitia (de populo loquor) ad horum virtutes comparari, & illorum calamitates ho-

horum felicitati (ſi qua à malis brevis reſpiratio felicitas dici poteſt) jure anteponi poſſint. Cum optimi eſſent Romani, reges rejecerunt; receperunt, cum peſſimi? Et tu Romanorum hic audes mentionem facere, & peſſimorum ſtatum, facta & fata palma optimorum conditioni anteponere? Det mihi aliquis iſtis moribus populum, palam juſtum; & è rep. eſſe, non tantum licitum iis, repudiare regem tyrannum; palam utile & præclarum reſiſtere regi delinquenti auſim affirmare. Eo enim animorum conſenſu ibunt in nefas, ea modeſtia, ut belli civilis vix ullum periculum ſit. Vel enim, ubi reſiſtendo jus ſuum obtinuerint, ſponte in poteſtate regis erunt, vel bello, tyranni pœnâ, ſine magno malo & turbis defungentur. *At enim rex pater eſt. pietas erga parentem etiam vultu læditur, nedum ut ullo caſu, quod dictu nefas, ei vis inferri poſſit.* Comparari ſane & ſimile eſſe paterno imperio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

perio regnum fatemur. Sed eſſe idem vel ob id ipſum quod comparatur negamus. Nec nos tamen ii ſumus qui minorem habere religionem parentis patriæ quam regis familiæ velimus dignitatem, ſed majorem potius & auguſtiorem: dum id agat, ut beneficiis veroque paterno erga cives animo nomen illud pietatis mereatur. non enim licentia & impunitate illud meretur. Maximè enim impotentiſſimorum flagitioſiſſimorumque tyrannorum foret, qui non patres ſed hoſtes & parricidæ patriæ ſunt: nunquam principum, quibus ſolis illud rectè tribuitur: nunquam civium egregiorum & conſervatorum reipublicæ; ut Marci Tullii, qui primus Romæ *patriæ parens* appellatus fuit, & tamen non niſi dignitate princeps, libertate cæteris par fuit. Seneca: *Cætera cognomina honori data ſunt. Magnos & Felices & Auguſtos diximus, & ambitioſæ majeſtati quicquid potuimus titulorum congeſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

geſſimus, illis hoc tribuentes. Patrem quidem patriæ appellavimus, ut sciret datam ſibi poteſtatem patriam: quæ temperatiſſima eſt, liberis conſulens, ſuaque poſt illos reponens. Plinius Panegyrico: *Soli omnium tibi contigit, ut pater patriæ eſſes, antequam fieres. Eras enim in animis, in judiciis noſtris, nec publicæ pietatis intererat quid vocarere; Niſi quod ingrata ſibi videbatur, ſi te Imperatorem potius vocaret & Cæſarem, cum patrem experiretur. Quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces? ut cum civibus tuis quaſi cum liberis parens vivas.* Claudianus:

> * *Tu civem patremque geras; tu conſule cunctis,*
> *Non tibi; nec tua te moveant, ſed publica damna.*

De Ulyſſe Poëta:

> Λαῶν οἷσιν ἄνασσε πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν.
> *Subjectos populos placidi patris inſtar habebat.*

Non

* IV. *Conſ. Hon. v.* 294.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Non enim omnium proprie regum ſed tantum optimorum id nomen eſt. Cyrus, *ut Juppiter divorum, ſic hominum pater* vulgo appellabatur. quo titulo dignum etiam Antoninum Pium pronuntiat Pauſanias. Dio, *nihil juris & poteſtatis tranſlatum in Cæſares initio, eo quod patriæ patres nominarentur, ſed tantum id datum nomen honoris cauſa, ſimul ut officii admonerentur, cives ſuos paterno amore complecti: & ab iis viciſſim filialem reverentiam & amorem exſpectare. Si enim princeps, ut pater filiis, imperet, nullo* (dictum eſt Agaſiclis) *præſidio opus habet, caritate & benevolentia ſeptus eſt.* Atqui hac potiſſimum de cauſa patres reges. cæterum in univerſum regnum cum patria poteſtate ſimilitudinem etiam quandam habere, ſed hanc tamen longe præcellere perſpicuum eſt. Primum ob beneficiorum magnitudinem: debent hujus lucis uſuram filii parentibus, quod magnum eſt; non cives regibus: de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

bent quod ſublati & alti, quod non illo priore minus eſt beneficium; cum non tam urſa lambendo fingat partum ſuum, quam parentes id quod natum eſt educando iterum generent pariantque, unde ille de alumno ſuo:

—— Tellure cadentem
Excepi & vinctum genitali carmine fovi,
Poſcentemque novas tremulis ululatibus auras
Inſerui vitæ. quid plus tribuêre parentes?

Inde teneram mentem ſtudiis & quadam utique diſciplina formantes, non minus animum quam corpus educant, & tanta cura eos demum dignos hominis nomine faciunt. Itaque & magis neceſſaria ad conſervationem & propagationem humanæ gentis domus eſt, quam civitas: cum ſine certo imperio multæ olim, quædam & hodie nationes agant; ſine do-

domeſtico nullæ. Educatio certe quædam ita in natura inſita eſt, ut omnium ſit animantium: at regnum arte inſtitutum non natura, generalem quandam, non propriam hominum curam habet; non educationis neceſſitate, non propagandi inſtinctu, ſed conſilio & ob bonum publicum. Jam cum parens tot in filios beneficia congeſſerit, antequam ipſi beneficium ullum præſtare potuerint, ut nulla ipſi obſervantia, nulla pietate ſatis reſpondere poſſint; cum plerumque à parentibus etiam facultates habeant, vix iis quicquam reddant: rex non tantum populum non habet hæredem, ſed multa etiam ab eo habet beneficia, in tanta potentia ſupra omnes poſitus, tantis copiis, tantis opibus auctus, non tantum rex eſt civitatis, ſed etiam, licet honeſtiori vocabulo, mercenarius. Quæ enim patrimonii regii ſunt & in ſuum uſum convertere licet, *ea non tanquam rex*, quod dixit Plato,

ſed

ſed tanquam mercenarius habet. Quæ cum ita ſint, regi, qui quidem non optimus ſit, minus in ſubjectos quam parenti in filios licere; ſubjectis plus in regem, quam filiis in parentes licere; patrium jus ut à natura, amitti non poſſe, regnum, ut ab arte, poſſe ſequitur. Cum autem tanta etiam, ut ſupra memoravimus, adultis filiis ſub patria poteſtate libertas ſit, quanto magis ſub regno viventibus? Quid? quod etiam paterna illa beneficia, quantumvis immenſa, injuria in nihilum redigi poſſe multis videatur? Seneca: *Aliquis me reum defendit; ſed uxorem meam per vim ſtupro violavit: non abſtulit beneficium, ſed opponendo illi parem injuriam ſolvit me debito; & ſi plus læſit quam ante profuerat, non tantum gratia exſtinguitur, ſed ulciſcendi quærendique libertas ſit, ubi in comparatione beneficii præponderavit injuria.* Quid? non tam duri quidam & ſcelerati patres, ut eos averſari & ejurare jus

faſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

faſque ſit? Sed hoc profecto rarum admodum, cum patriam quidem poteſtatem ipſa rerum natura circumſcripſit; dum in animis inſculpſit illam indulgentiam, qua moventur, liberorum, illam ſanguinis neceſſitatem, illam curam, quæ nunquam niſi in liberis mentem patitur conſiſtere, (quis enim ſpem, quis pignora ſua non amet?) docens nos manifeſto, magnam poteſtatem in alios non niſi legibus conſtrictam ſatis tuto committi hominibus: quæ cum in regibus non inſint naturâ, leges alias quibus ſalus publica defenditur, pro ſubjectis eſſe omnino æquum eſt. *Sed omnis antiquitas divinitatem quandam inter homines regibus adſcribit.* Quid ergo? inde effici poteſt non poſſe iis peccantibus reſiſti? immo ne hoc quidem, quod nos quidem fatemur, reges dum reges ſunt coërceri & de ſolio detrudi non poſſe. θείους & διοτρεφεῖς reges appellat pater vatum, ſed Spartanos,

ſed

ſed & cæteros Heroas ſuos; ſed cui etiam δῖος ὑφορβὸς Ulyſſis ſubulcus vocitatur. Et *rex* & *divinus* vocabatur quicunque virtute præcelluiſſet, & maximus ille erat, qui ad arcendam injuriam, tutandum jus & communem omnium libertatem plurimum contuliſſet. *Dii* reges in ſacris: immo Hebræorum judices, imò minores etiam judices, & pii alicubi. ut jam non dicam, quod etiam paſſim *dii* quæ ſibi finxerunt homines eidola & dæmonia; quod affectus & cupiditates & corporis partes & poteſtatem quam in deditos ſibi exercent, ebrioſorum & helluonum *Deus* venter, avarorum pecunia, cum avaritia *idololatria* nominetur, & ſimilia quæ obvia ſunt in ſacris tabulis. an hæc ideo non repudianda? non reprimenda? non virtute & ratione dejicienda ſunt, quia Deorum vocabulo nuncupantur? Adde, quod tumidus ille & inflatus oriens res ſuetus in immen-
ſum

ſum exaggerare quos in pretio haberet. regibus verò quæ non iſtic adulatores, quæ non reges corrupti ſervili ingenio adulantium ſibi ipſis tribuerunt? hinc iſta: *reges regum, divini*, *Dei*, vanique etiam & ſtulti regum tituli, quibus non tantum ſe compellare paſſi, ſed etiam ſeſe extulerunt ipſi. apud Ammianum Marcellinum l. xvii. eſt litera Saporis Perſarum regis, quæ ſic incipit: *Rex regum Sapor, particeps ſiderum, frater Solis & Lunæ, Conſtantio Cæſari fratri meo ſalutem plurimam dico.* Adde ſimiles literas Choſrois ad Juſtinianm apud Menandrum Protectorem, & ejuſdem nepotis, cui etiam Choſrois nomen, ad tyrannum Varamen apud Theophylactum Simocattam. Sed hæc inferioris ævi vernacula tantum vitia perennemque Orientis morem omnia in majus extollendi attingere ſatis fuit. Quibus cum Deus loqueretur, quid mirum ſi eorum mori ſe paulum accommodavit, lon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

gè quidem à profanorum ſcriptorum temeritate, ne reges ludibrio haberentur? *Nec illud proprium regum eſt, nec poteſtatem ſine fine probat, quod *ſacroſancti* & ἄσυλοι: *Sacroſancti* apud Rom. Trib. plebis, *ſanctus* ſenatus. In ſacris etiam *ſanctus populus* paſſim Judæi. Cicer. pro Archia: *Sanctos Poëtas appellat Ennius, quod quaſi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe videantur.* Nam aliis de cauſis alii ſancti. Illud quidem conſtans, omnem magiſtratum & quicunque legitima cum poteſtate eſt, illis in quos jus habet, magnum, gravem & ſanctum eſſe, ſed tamen quatenus jus habet, non in omni actu: cum revereri eos tanquam

* Plinius panegyrico de Trajano: *Tu delubra non niſi adoraturus intras, tibi maximus honos excubare pro templis poſtibuſque prætexi. Sic fit ut Dei ſummum inter homines faſtigium ſerves, cum Deorum ipſe non adeptus.* (ubi tamen legendum cenſeo *adpetas*, pro *adeptus*. Cicero: *cum incidiſſet in ſuſpicionem regni appetendi.*) Horatius: *Dis te minorem quod geris, imperas.* Tertullianus: *Sic omnibus major dum ſolo vero Deo minor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quam numen, eſſe dicto audientes, ſententiis eorum acquieſcere etiam dubiis & quæ aliquid ex iniquo habent, imperii neceſſitas poſtulat. Sed illa tamen patientia & obedientia in infinitum minime extendenda eſt. Tribunos plebis illos ſacroſanctos, ubi hoſtilem in modum ſeditionem concitarent, & reipublicæ libertatem legeſque, quas tueri debebant, conturbarent, rectè pœnas dediſſe cædes Gracchorum ab optimo quoque laudatæ probant: quorum alterum P.Scipio P. M. privata manu interfecit. probat cædes Saturnini; in qua adeo fraudem capitalem non admiſſam defendit Cicero, ut honore & præmio digna ſit. Aliud enim eſt, cuſtodem libertatis eſſe, aliud, facem licentiæ & ſeditionis. Nos quoque reges ſanctos, auguſtos eſſe, & proximos Deo lubentes agnoſcimus, dum ipſorum majeſtas æquet tantorum nominum faſtigium. ad nefarios &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

omni ſcelere coinquinatos tanta nomina traduci, eoſque ſe vocabulo tueri qui à re procul abſunt, nulla patitur ratio. An tu iſtis verborum ludibriis omnia infanda ſancies, & fœdiſſimam & inter politiores nationes, non jam dicam Chriſtianos, jam olim ſepultam adulationem ab inferis excitabis, ut quos homines ſcimus, Deos credamus? Hæc quidem profeſſa impietas eſt, quæ ne tum quidem tantum non ad ultimum perditis placuit, cum tralatitium eſſet in cælum extollere, & quibus palparentur vivos videntes in Deos referre. Boni ſanè principes etiam pagani hanc impudentiam ſemper deteſtati ſunt. Martialis ad Trajanum:

Fruſtra blanditiæ venitis ad me
Attritis miſerabiles labellis:
Dicturus Dominum Deumque non ſum.
Jam non eſt locus hac in urbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Et turpes humileſque ſupplicesque
Pictorum ſola baſiate regum.

Digna tamen infinitæ poteſtatis doctore hæc doctrina. Eorundem enim qui illam tutati olim ſunt fuit, divinitatem ſuam aſſerere. Caius *Latialem ſe Jovem* ferens præbebat ſe Caſtorem inter & Pollucem adorandum. Deorum ſtatuis amputato capite ſuum imponebat: & ne tantum capite tenus Deus crederetur, *cum Lunâ*, ut dictitabat, *coibat*, *cum Jove pro ſua modeſtia contentus ſecreto fabulari.* Nero *Apollinem*, Domitianus *Dominum & Deum noſtrum* ſe uſurpari palam voluit. Iidem ſunt, ut ſupra retulimus, qui ſibi omnia licere voluerunt. Caius monenti aviæ, tanquam parum eſſet non obedire, * *ſibi omnia in omnes licere* aut potius *in homines* (cum ſcripti quidam codices habeant, *& homini*) reſpondit: ſic enim decebat loqui Deum. Sic adulatores & Poëtæ aſſentabantur.

* *Sueton. Caio. c.* XXIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Virgilius:

Jam pridem nobis cæli te regia Cæſar
Invidet atque hominum queritur curare triumphos.

Latinus Pacatus: *Gaudent profecto divina perpetuo motu & jugi agitatione ſe vegetat æternitas, & quicquid homines vocamus laborem veſtra natura eſt.* * Papinius ad Domitianum:

Maneas hominum contentus habenis
Undarum terræque potens & ſidera dones.

Sidera dones, id eſt adſcribas alios Deorum ordinibus: Non, ut Luctatius interpretatur, *concedas numinibus, vel ſuis locis eſſe ſinas.* Nam etiamſi vetus decretum eſſet, ut teſtis eſt Tertullianus, *ne quis Deus ab imperatore conſecraretur, niſi ſenatu approbante*, traxere tamen & hoc in ſe ut cætera. parum erat diis eſſe, niſi & facerent Deos: quo quodammodo ipſis ſibi etiam majores videbantur.

* *In princ. Theb.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tur. Nero apud Senecam:

Stultè verebor, ipſe cum faciam, Deos.

Quæ ſi placent, ô genus ad ſervitutem fœdam paratum, ſint ſane vobis homines *Dii*, reſponſa eorum *oracula*, dignitas *numen*, more adulatorum veteri, qui deinde in conſuetudinem abierat; accipite hæc ut ſonant; delectet vos ingenium turpitudinis veſtræ, & tyrannos quoque cum regibus miſcete: nos tamen rudes aulæ & ruſticos ſinite ſuo quæque nomine, tyrannos *tyrannos*, reges *reges* appellare; nec quod in re non eſt & veritate, futili quadam & anili verbi ſuperſtitione nobis approbare vos putetis poſſe. *Deus*, inquit, *ipſe & ſua ſcelera ſatis ulciſcuntur impios dominatores. hæc in eos rebellant, hæc vulnera & ictus conſcientiæ certamque animis pernitiem inferunt.* Quaſi non etiam privatos nefariis coopertos facinoribus hæc ulciſcantur: aut ideo legum jus & humana vindicta omnis tollenda ſit. Scilicet non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quoddam perditorum genus eſt, quibus negligere ad tempus & comprimere animi ſui conſcientiam nihil eſt negotii, qui ita immerſi turpiſſimis voluptatibus, ita occupati & diſtenti ſceleribus ſuis, ut iis non vacet ad ſe redire & complicatam animi ſui notionem evolvere? Et ſunt dulces & blandientes quædam initio facinoroſis furiæ, quæ corruptelarum illecebris transformant ſeſe, & falſa gaudia undique oſtentant; donec ita irretiant homines, ut nullum ad bonos habeant reſpectum, nec peccatorum pœnitentia exitum inveniant. Tunc demum apparent vera facie, & nuſquam mente conſiſtere noxios patiuntur, nuſquam acquieſcere, niſi facinora facinoribus & privatorum cædes patriæ publica calamitate tutentur. Adeo non allevantur ſubjecti, ut multo graviores & intolerabiliores ſentiant tyrannos conſcientiis maleficiorum ſuorum exagitatos, quam

ſi-

ſine ſollicitudine & cura ſeque & Deum teſtes negligentes. tunc enim ſola eorum peccata, deinde etiam regiorum peccatorum pœnas pendunt, majora & magis acerba ferendo ſcelera. Quare licet Deus & ſui cuique mores maximum præmium & ſupplicium ſint, ſæpe tamen hoc aliis non prodeſt; nec aliter Deus prohibere nefas infandum vult, (quippe non incutiens prodigia & miracula quotidie populis) quam ſi iis mentem det quibus dedit vires prohibendi. *At enim tyrannorum depulſores infauſta cum morte vitam commutaverunt. Apparet in eo Dei numen & vindicta.* Si omnes pœnas dediſſe vis qui tyrannos dejecere, tam ſacra quam profana hiſtoria te refellit; ſi multos, quid inde efficies? An exitu rerum & eventu, qui quidem ſtultorum magiſter eſt, an cauſarum ponderibus res examinandæ? an fortunâ, qua quidem in noſtris oculis nihil magis temerarium, omnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

metienda? an de Deo denique non tantum de hominibus diſceptatores ſedemus? Quid vero mirandum tantopere, ſi latronum, ſicariorum, parricidarum, paraſitorum turbæ & ejus generis tyrannorum ſatellitum, qui ſalvi eſſe non poſſunt niſi optimo quoque & fortiſſimo ſublato & in perempti locum ſubſtituto tyranno alio, improbas & ſceleratas manus tyrannicidæ raro effugere potuerunt? Rem eſſe maximam & periculoſæ plenam aleæ, cujus denique & ſucceſſor ultor eſt, vides, & miraris quid ita multi violenta morte qui eam auſi pereant? vide vero ne hoc ipſum laudi ſit, quod tu vis opprobrio eſſe. Egregios bellatores & fortes viros quod plerumque belli caſus, quibus illi ſe impigre offerunt, abſumant eò magis laudibus extollimus, quod nec certa morte propoſita deterriti. cur non eadem ratione gloriæ ſit iſtis monſtrorum domitoribus, quod publicæ ſalutis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cauſa ante diem & fato non ſuo cadere non dubitent? Eadem enim utriſque cauſa mortis, præſtantia animi & nulla detrectans pericula virtus. Non illi, ut viles animæ, hujus lucis uſuram ſummum in bonis æſtimantes, quo vitam cunque modo prorogent deputant lucro. Sed ut ſuſtinendo pro patria labores pulcrum manſurumque aliquod obeundo facinus, non ſibi laborem ſed præmia ferre; ſic oppetendo pro republica mortem, non ſibi cum morte vitam, ſed cum immortalitate commutare & vere vivere videntur, vitam utique ſine virtute omni morte graviorem acerbioremque exiſtimant. Quid tamen ſi multi ſæpe juſto Dei judicio perierunt, an quiſquam multos in eos qui rerum potiuntur ſceleratè negat invaſiſſe? quid ſi mediocres quidem principes? quid ſi etiam bonos ſuſtulerunt? an nos eos nefarios & facinoroſos & parricidas, Dei hominumque ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

gamus hoſtes? quid ſi mediocriter quidem malos? ne his quidem ignoſcimus. Jam inter illos ipſos qui omni ſcelere pollutorum & extrema commeritorum cæde ſe cohoneſtaſſe videntur, quot fuerunt qui quod pietati in patriam debuerunt, ſuis, queis minime debuerunt, affectibus, ſuæ iræ & ultioni dederunt? qui non ſcelera ſed homines petierunt? Quot tyrannos tyranni dejecerunt, ut ipſi rapto dominatu potius eſſent qui illa perpetrarent dominationis flagitia quæ puniti erant? Dignum iſti omnes exitum conſecuti ſunt, ſi non *ſicca morte ad generum Cereris* (ut ait Poëta) *deſcenderunt. At rex legibus ſolutus: non ergo tyrannus fieri poteſt leges violando.* An ita legibus ſolutus, ut ei liceat agere quicquid libet, ut ſupra divina & humana, ſupra naturæ ipſius leges extollatur, hoc eſt, ut non gerenda ei ſed perdenda & conculcanda tradita ſit reſpublica? *Jure quidem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

naturæ nemo ſolvi poteſt, non per ſenatum, non per populum, ut recte ait Cicero. hominem ille exuat oportet, qui humanæ naturæ jure ſolutus ſit, & in feram transformetur. Modo Deum nuncupabas, nunc beſtiam facis regem. Nam illud oro te quale eſt, *quod nec cogentibus nec dirigentibus* (quoniam ab iſtis barbaris noſtris, ſi Dîs placet, nos etiam diſcamus oportet loqui) *nec ullis omnino legibus ais teneri?* hoc eſt, non moneri debere regem peccantem, non erudiri ne peccet, non præceptis ſalubribus ad virtutem vocari. quid enim aliud ſunt leges ſine pœna quam præcepta ſalubria? hæc te non puduit aſſerere, quæ nos etiam refellere pudet: quoniam rationibus non opus eſt, & ſatis ante refutavimus; convitiis non noſtrum eſt certare. Quoniam tamen celebre illud juriſconſultorum certamen, necdum quod quidem ſciam compoſitum, attingimus, non abs

re erit breviter per ejus capita decurrere & noſtram quoque ſententiam attingere? *Princeps* dicitur *legibus ſolutus* à veteribus. primum ut *princeps*: hoc eſt *legibus omnibus merè civilibus*, ita ut ei poteſtas ſit conſtituendæ gerendæque ſummæ reipublicæ. Et hæc eſt verbo diverſa, re eadem cum illa quam *legem regiam* vocant Juriſconſulti, qua *populus omnem ſuam poteſtatem principi & in principem contulit.* Quod quomodo Auguſtus acceperit narrat Dio: *Reverſus nimirum ex Gallia jurato in acta ejus ſenatu, populo viritim centenos denarios pollicebatur ea lege ſi ſenatus autor fieret: quod cum ſenatus negare non auderet populo, una eum lege ſolvit omnibus legibus.* πάσης αὐτὸν τῆς τῶν νόμων ἀνάγκης ἀπήλλαξαν, ἵν', ὥσπερ εἴρηταί μοι καὶ αὐτοτελὴς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτοῦ καὶ τῶν νόμων, πάντα τε ὅσα βούλοιτο ποιοίη, καὶ πάνθ' ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο μὴ πράττῃ. *omni legum neceßitate eum liberavit, ut, quemad-*

modum dixi, plena cum poteſtate & ſui ipſius & legum imperator, quicquid vellet ageret, quicquid nollet omitteret. Et ne quis putet ad hunc tantum actum ſolutum legibus, alibi palam *omnibus legibus ſolutum fuiſſe, eoque vel ſolo ſummam ei rerum poteſtatem conceſſam* affirmat. ἤδη καὶ ἕτερόν τι, ὃ μηδενὶ τῶν πάλαι Ῥωμαίων ἐς πάντα ἄντικρυς ἐδόθη, προσεκτήσαντο, ὑφ' οὗπερ καὶ μόνου καὶ ἐκεῖνα ἂν καὶ τ' ἄλλα αὐτοῖς πράττειν ἐξῆν· λέλυνται γὰρ δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ Λατινικὰ ῥήματα λέγει· τουτέστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεως εἰσὶ, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται· *habent & aliud quid nulli olim Romano palam & per omnia conceſſum: quo uno & harum & cæterarum rerum agendarum habent poteſtatem. legibus enim ſoluti ſunt, ut Latini loquuntur, hoc eſt liberi ſunt ab omni coactione legum, nec ulla ſcripta lege tenentur.* Atqui hæc lex eandem vim habet, quam illa, qua morum legumque regimen & conſtituendæ

rei-

reipublicæ poteſtas ei data, & illud caput legis de imperio Veſpaſiani latæ: Uti quæcunque ex usu reipublicæ, majeſtate divinarum, humanarum, publicarum privatarumque rerum esse censebit, ei agere jus poteſtasque sit. Non tamen ideo ſupervacanea fuit hæc lex, ſed apprime utilis Cæſaribus, ut cæteræ, quibus libertatem & antiquæ reipublicæ imaginem inanibus literis oſtentabant. Nam etiamſi ſuccus & ſanguis priſtinæ civitatis veraque libertas jam deplorata, & civitas ſervituti jam parata, tamen eo ingenio populus erat, ut iis quas à majoribus acceperat, legum, libertatis, reipublicæ vocabulis admodum caperetur, & cum Regem non aſpernaretur, regni & dominationis nomina morte pejus odiſſet. Quod pervidens Auguſtus vim regni ſatis habuit in ſe trahere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

iſta rerum ludibria & vana ſervitutis ſolatia populo non invidit. *Romuli, Dictatoris*, quamvis offerrentur, nominibus repudiatis, nomen ipſe *principis* accepit. Tum omnes magiſtratus in unum collati. ſæpe conſul, perpetuus imperator, cenſor, tribunitia cum poteſtate, omnibus ſacerdotiis inauguratus: quaſi ſic ſalva eſſet libertas, aut ipſe non jam omnia accepiſſet cum reipublicæ conſtituendæ arbitrio. Eadem ratione, ne quicquam omitteret quibus volenti populo illuderet, & hoc accepit antiquitus uſitatum, ut *legibus ſolveretur* ſed omnibus. Nam in libertate ſpectatæ eximiæque virtutis aut gratioſi homines ſolvebantur interdum legibus quibuſdam, & quidem antiquitus non niſi comitiis centuriatis. Deinde & Senatus uſurpavit, nec juſtus tantum ſed etiam infrequens. Unde C. Cornelius Trib. pl. legem tulit, *uti ne quis in ſenatu legibus ſolveretur, niſi ducenti*

ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

adfuiſſent, neve quis cum ſolutus eſſet intercederet, cum ea de re ad populum ferretur. Et dicebantur etiam *legibus ſoluti* qui una tantum lege ſoluti erant, ut Marius *lege comitiali*, Pompeius *lege annali*, Brutus poſt cædem Cæſaris eâ *quæ plus quam decem dies ab urbe abeſſe vetabat*, & paſſim alii una lege ſoluti legibus ſoluti dicebantur. Atqui hoc incorrupta & bene compoſita re Romana non niſi magnis in remp. meritis concedi ſolitum, labanti deinde diſciplina & re in pejus ruenti, ambitioni quoque in prædam ceſſit, & fuit inter ea quæ rempublicam perdiderunt. Neque enim ſatis habuêre rapere legitimos honores, & quæ virtuti debebantur in ſe trahere homines factione & malis artibus potentes, niſi honores ſupra & contra leges, dominationem & imperia obtinerent; idque quaſi more patrio, & quaſi leges conculcare, id eſſet legibus ſolvi. Rogantes quinimo abrogantesque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

que ex libidine ſubjiciebant ſibi leges, quibus ſolis ſervire par erat, & rem ſanctiſſimam & libertatis avitæ unicam tutelam, inter inſtrumenta ſervitutis habebant. Hac via graſſati primi illi turbatores civitatis & civilium bellorum duces, hac deinceps primi Cæſares legibus conſtitutam civitatem ſibi addixerunt, & quidam eorum etiam legibus everterunt. Hoc ergo ſenſu *legibus ſolutum eſſe* nihil aliud eſt, quam ſupra leges eſſe. & falluntur illi, inter quos eſt qui nuperrime hac de re orationem edidit, qui putant hanc legem ad privatam tantum Cæſarum vitam ſpectaſſe. Nam antiquitus beneficium illud quo legibus ſolvebantur, beneficium erat conſulatum petendi aut rempublicam contra leges gerendi ſimiliumque, non tantum vitam aliter inſtituendi quam ex præſcripto legum: quale erat virginum Veſtalium, quæ ſuis legibus utebantur. Ac id ſatis patet ex vete-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

rum ſcriptis. Plinius: *in roſtris legibus te ſubjeciſti, legibus quas nemo principi ſcripſit.* Trajanus enim conſulatum geſturus, ut parem ſe per omnia collegæ oſtenderet, in verba legum juravit quibus conſul tenebatur, princeps ſolutus erat. Imperator Novella CV. *Omnibus prædictis imperialis fortuna exempta eſto, cui Deus ipſas etiam leges ſubjecit, ipſa hominibus quaſi animata lege miſſa, eò quod imperatori quidem omnibus civitatibus, populis ac gentibus conſulenti quæ ſingulatim illi viſa ſunt ac placent, conſulatus nunquam non ſubſit.* Sic quoque Auguſtinus: *Non eſt ſubjectus legibus, quia habet in poteſtate leges ferre.* Regnum quidem illud eſt, ita legibus ſolutum eſſe, at non, quod velint paraſiti, tyrannis, ſcelerum & flagitiorum regnum: neque enim jus ei injuriæ inferendæ ſed regendæ reipublicæ datum. Quanquam illud non negamus, veniam & impunitatem quandam etiam vi hujus le-

gis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

gis reipſa conceſſam fuiſſe, quomodo multi veterum eam accepere. Harmenopulus: ὁ βασιλεὺς νόμοις οὐχ᾽ ὑπόκειται, ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται. Ambroſius Apologia Davidis: *Rex utique erat, nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt reges à vinculo delictorum, neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus tuti imperii poteſtate.* Nec aliter ſentire videtur Latinus Pacatus Drepanus panegyrico: *Tantum tibi*, inquit, *per te licet, quantum per leges licebat. jus ſummum facultate & copia commodandi non ſecuritate peccandi experiris.* Scholaſtici *coactivè*, non *directivè* principem aiunt legibus ſolutum. Nam hoc quidem, legum pœnis non obligari, *ſolutum legibus eſſe*, non malè dici videtur, quando *leges ſunt minis mixta præcepta*, & qui minis earum ſolutus, vi legum non tenetur. *Legis virtus eſt, imperare, vetare, permittere, punire, ſed anima legis in pœna* eſt. unde veteres *leges imperfectas*, ut teſtatur Macro-

bius,

bius, *appellaverunt eas in quibus nulla deviantibus pœna propoſita.* Sed tamen hoc non eſt proprie & more antiquo *legibus ſolvi:* quando qui legibus ſoluti non tantum à pœna ſed etiam à culpa omni liberi ſunt; & legis etiam eſt, perſuadere aliquid, non omnia minis & vi agere. Non hæc eſt mens legis: principem enim peccare non permiſit, quod vetat ratio & natura & ipſum principis nomen. non enim peccando principis munia obit, ſed potius privati inſtar delinquit ſi qua humanitus ei accidunt; tantum quod deeſt qui pœnas ſumat, quia idem princeps eſt. Privatorum ergo delictorum, dum eſt princeps, veniam habet, crimine ſolutus non eſt. Nam in *privata vita*, cujus etiam reſpectu dicitur, non eſt legibus ſolutus, niſi illis tantum quibus expreſſe ſolutus eſt. non omnibus legibus merè civilibus, quod cenſent quidam. principes enim legibus tenentur, ut pars reipublicæ, quibus ut

reges

reges ſoluti ſunt. In lege illa, cujus fragmentum eſt in baſilica Lateranenſi, eſt: *Uti quibus legibus plebeive ſcitis ſcriptum fuit, ne Divus Aug. Tiberiuſve, Julius Cæſar Aug. Tiberiuſque Claudius Cæſar Aug. Germanicus tenerentur, iis legibus plebiſque ſcitis Imp. Cæſar Veſpaſianus ſolutus ſit.* Atqui ridiculum fuiſſet, iis legibus excipi Veſpaſianum, quibus ſcriptum ne deceſſores ejus tenerentur, ſi nullis id adſcriptum fuiſſet, aut iis tantum ſolvi, ſi in univerſum legibus ſolutus fuiſſet. Adſcribebatur igitur quibuſdam legibus, *ne princeps iis teneretur.* quorundam etiam veniam petebant, ut *legis Voconiæ Auguſtus*, ut narrat Dio, qui idem teſtatur, ſub Caio Caligula demum factum, ut *Papiâ Poppæâ ſolveretur.* unde doctiſſimus Jureconſultorum noſtrorum non falsò accipere videtur illa Ulpiani, *Princeps legibus ſolutus eſt*, de *Papia Poppæa*, quod ex libris *ad legem Juliam & Papiam* deſumpta ſint.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Nam de poteſtate ſumma quæ mere civilibus, quæ quidem in conditionibus imperii non ſunt, eximit, non loqui Juriſconſultum manifeſtum. *Auguſtæ* enim, *quamvis non ſolutæ legibus, ſolere principes eadem privilegia tribuere quæ ipſi habent*, ait ibidem. Atqui non dividebant imperium cum Auguſta Cæſares, nec credibile eſt, impunitatem illi in delictis utique contra honeſtatem & pudorem earum conceſſiſſe: Julii ſine dubio plerique quam Claudii in eo ſimiliores. Loqui igitur videtur de iſtis legibus, quibus palam excepti Principes. Nam quamvis ex poteſtate tam ſe quam alios iſtis legibus ſolvere poſſe videantur, incivile tamen hoc & tyrannicum, nimis viſum, niſi publicè rectè & ordine ſolverentur; itaque nolebant hoc poſſe videri. Eo ſenſu & Tiberius apud Tacitum *privatas ſuas inimicitias à Principis inimicitiis diſtinguit*. Ovid. Triſtium. 2. El. 1.

Tri-

Triſtibus invectus verbis (ita Princi-
pe dignum)
Ultus es offenſas, ut decet, ipſe
tuas.

Et ſæpenumero in ſenatu tantum ſenatorem non principem agere videri volebant, nedum in rebus nihil cum republica commune habentibus. Unde toties teſtati, *juri communi ſe vivere, vivere legibus quamvis non tenerentur, ſubjicere ſe ſuâ voluntate, nihil tam proprium eſſe imperantis quam legibus vivere, digniſſimum majeſtate majuſque ipſo imperio ſubjicere legibus principatum, cum omnis ejus à jure autoritas dependeat.* Hoc eſt, quod ante dicebamus, optimos quoſque Principes πολιτικὴν imperii ſpeciem in republica eſſe voluiſſe, quod liberum regnum omnibus grave & odioſum, ſapientibus ſemper improbatum & vix inter recta genera reipublicæ habitum fuerat. Plato: Μοναρχία ζευχθεῖσα μὲν ἐν γράμμασιν ἀγαθοῖς, οἷς νόμοις λέ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ζομεν, ἀρίστη πασῶν, ἄνομος δὲ χαλεπὴ καὶ βαρυτάτη. Sed ut eo unde digreſſi ſumus revertamur, quam largiſſime ſumatur princeps legibus ſolutus, nemo unquam veterum qui hoc dixere, ex eo efficere voluit fieri tyrannum non poſſe: cum eoſdem illos toties tyrannos appellaverint, & in Nerone tyrannos damnaverint ut more majorum de iis ſupplicium ſumeretur. Imo ſi maxima eo poteſtas deſignatur, illud potius ſequitur, nuſquam tantam regi poteſtatem tribui ut principatu excidere non poſſit, judicio illorum à quibus hæc deſumpta. *At rex in majeſtatem peccare non poteſt.* Quid rex nequeat, qua rex eſt, totiens diximus. at illum qui ſummum tenet in civitate locum, contra rempublicam & dignitatem ejus, contra concordiam civium & ſalutem omnium peccare poſſe, nemo ſanus dubitare poteſt. Quod autem eſt crimen majeſtatis, ſi hoc non eſt? Fuit olim

qui

qui dubitavit an à privato lædi poſſit reſp. * Tu novorum inopinatorum autor, an à rege poſſit in controverſiam vocas? Negas eſſe in populo majeſtatem. at non negavit Ulpianus, is qui *Principem* dixit *legibus ſolutum*, quando *crimen majeſtatis* definit *quod adverſus populum Romanum vel adverſus ſecuritatem ejus committitur.* Ulpiani autem tempore ſummam remp. jam pridem penes Principem fuiſſe, nec juſſus nec ſuffragia populi valuiſſe quis ignorat? Aliud παράδοξον quo infinitam licentiam putant ſe tueri poſſe eſt, *regis omnia eſſe.* Quod quidem jam olim interpretatus eſt Lucius Seneca: *Non enim*, inquit, *ideo aliquid tuum non eſt, quia vendere non potes, quia conſumere, quia mutare in deterius aut melius. tuum enim eſt, quod ſub certa lege tuum eſt.* Item: *Sic omnia ſapientis eſſe dico, ut nihilo minus proprium quiſque in rebus ſuis domi-*

* *Sparſus apud Senecam patrem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

nium habeat: quemadmodum ſub optimo rege, omnia rex imperio poſſidet, ſinguli dominio. Sapiens regio more cuncta conſcientia poſſidet, ſingularum autem rerum proprietas in unumquemque ſparſa. Univerſa in Cæſaris imperio ſunt, in patrimonio propria: quid ejus ſit, quid non ſit, ſine diminutione imperii quæritur. nam id quoque quod tanquam alienum abjudicatur, aliter illius eſt. hæc Seneca. Dicimus *amicorum omnia eſſe communia*, non quod effundere per luxuriam & male gerere rem amici amicitiæ jus ſit, ſed quod, nihil ultra quam ratio, æquitas & vera amicitia permittit, cupienti liceat uti bonis amici. Ut, *eadem velle & eadem nolle ea demum firma amicitia eſt*; honeſta nimirum & laudanda: non enim vitioſorum factio ſanctum hoc nomen meretur. ſic quoque regis nihil præter fas ſumentis & publicæ non ſuæ utilitatis cauſa alienis bonis utentis omnia ſunt.

Veniamus nunc ad tabulas veteris

&

& novi inſtrumenti, & illa quæ ex naturæ jure, gentium conſenſu & hominum prudentium ſcriptis adduximus, coram ipſo Deo ad ſummum illud tribunal ſiſtamus, unde infirmitas humana veram conſtantiam, & ipſa ratio ſummam legem accipiat. Quanquam enim mihi decretum ſit, nihil magis inter ſe conſpirare, quam leges nobis divinitus ſcriptas & illam æternam & immutabilem, quam non in chartis ſed in animis, non literarum elementis, ſed rationis characteribus Deus ſanxit, ut etiam ſi ex ſacrorum libris nondum probata ſit doctrinæ hujus veritas, tamen cum jus naturæ pro juſta libertate ſit, illud etiam certum ſit, oracula divina non favere niſi juſtis imperiis, nec proponere Dei voluntatem & benevolentiam ſervitutis autoramentum. Submiſſa tamen libentes meritoque ratione, ibimus per ſingula loca quæ de imperio agunt, & niſi iſtis ea quæ attulimus non tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tum non infirmata, ſed plane confirmata imperiorum genera, non confuſa auctoritate ſacra ſed diſtincta, non jus regnantium in infinitum auctum, non civium imminutam libertatem oſtenderimus, adeo non poſtulabimus ut quiſquam nobis aſſentiatur, ut ipſi pedibus in adverſariorum ſententiam ituri ſimus. Etiamſi enim mirè heic exſultet & ſe jactet mancipiorum iſtorum oratio; & antiquum novumque fœdus, Prophetas, hiſtoricos ſacros, Apoſtolos, Deique & regum numen ſemper in ore habendo, homines minime malos fortaſſean tantorum verborum pondus non ſuſtinentes, quoſdam in ſuam ſententiam trahant; tamen rem propius intuentibus & loca locis conferentibus nihil minus cum illis facere quam illa quibus iſti ſe maximè inniti ſimulant, luce meridianâ clarius apparebit. Quid enim afferunt tantis clamoribus, quam ſententias quaſdam & com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

communia quædam effata, quæ non tantum apud divinos ſed etiam apud humanos autores paſſim reperiri eſt, quæ non tantum recipiunt ſed etiam poſtulant exceptiones ſuas. *Sacram dignitatem regiam eſſe:* quaſi nos profanemus. *parendum regibus*; quaſi nos temeritatem rebellantium armemus. *non lædendos reges*, quaſi nos ſicam contra eos in civitatem projiciamus, & ſimilia. Sed nos ordine ſingula videamus. Antiquiſſima, ait, & ante ipſum Moyſen data lex eſt: *Nolite tangere Chriſtos meos.* Nos ſcilicet reges violari ſine parricidio poſſe ſtatuimus: imo ne iis quidem, quâ regibus, reſiſti ſine ingenti facinore docemus. Illud quidem negamus, tantam iis ſanctitatem, ſi illa eſt ſanctitas, tribui, eo quod *Chriſti Domini* appellantur, quanta nec ſcelere ullo contaminari nec flagitiis amitti poſſit. Dictum hoc propriè & primum de Patriarchis: qui quidem Principes *Dei* & *reges* à gen-

tibus appellati, & *eodem apud reges in honore*, ut ait Kimchi, *in quo reges.* ſed tamen fere in aliena ditione, utique in Chaldæis Abrahamus, in Ægypto Jacobus viventes, ſi quid forte deliquiſſent, à rerum illic potientibus pœnis coërceri potuiſſe certum eſt. In Pſalmo cv. bonos & pios *unctos Dei* vocat Propheta, *eoſque tangere vetat*, id eſt quamdiu boni ſunt injuria affici: non vero iis concedit impunitatem & licentiam quidvis agendi. Eadem ratione reges, quamdiu verè reges, *patres & paſtores populi*, cogitatione aut verbo nedum facto lædi nefas eſt. Nec magis illud dominationem ſine fine & licentiam adſtruit, quod in Judæis *reges ſacro oleo inuncti.* cum eodem oleo Pontifex ſummus conſecraretur, qui nihilo minus abdicari ſi meruiſſet & morte multari potuit. Adde quod in figuram *regum regis* Chriſti Domini noſtri, & *Chriſti* vocabantur, & oleo ſacro tingebantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tur. Qualia cum iſtis objiciuntur, negant in exemplum trahi poſſe; ubi conducere videntur, tanquam ipſis pro libidine uti ſacris teſtimoniis liceret, afferunt. Eccleſiaſtes cviii. *Obſerva os regis*, id eſt mandatum vel imperium ejus, dicto ei audiens eſto, *vel propter ſacramentum Dei*. non tantum quia id tibi bono eſt, ſed etiam quia Deum teſtem advocans in verba ejus juraſti. Quis enim negat bonis omnibus magnam jurisjurandi eſſe religionem? cum etiam Joſuam virum divinum deceptum, ceu ſolo verborum ſono obſtrictum, ignoviſſe gentibus legamus? itaque meritò ſemper aliquid remittendum etiam de jure ſuo, ne in regem & ſacramentum, ut ſupra ſuaſimus, peccetur. Cæterum cives in verba quidem regis juraverunt; ſed non omnem uſum, quod nefas, rationis, non omne jus ſuum ejuraverunt. obligaverunt fidem ſuam, ſed non ad nefas, quæ conjuratio eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

debent magnam ei pietatem : ſed ne ea, quæ pietas appellatur, ſit impietas in bonos & patriam; alioquin & res palam iniquas cives exſequi fas eſſet, quod nefas eſſe nemo, cui quidem aliquantum ſupereſt pudoris, inficiatur.

Ne feſtines recedere à facie ejus, ne temere in eum exſurgas) Immo, ne temere ei non pareas, potius. ut enim *obſervare os* eſt in poteſtate regis eſſe, ſic *recedere à facie*, nolle obedire. ita Samuel l. I. c. VIII. *Clamare à facie regis*, &c. Quod quidem adeo cum illis non facit, ut etiam adverſetur. feſtinationem enim & temeritatem prohibendo, rem ipſam aliquando permittere ſeſe indicat : non enim ait, *nunquam à facie ejus recedas*, ſed *ne properes à facie recedere.* Bernardus: (quamquam de ſe ut de ſacerdote, loquens majorem modeſtiam exigere videatur.) *Si orbis totus adverſus me*, inquit, *conjuraret, ut quippiam molirer adverſus regiam*

giam majeſtatem, ego tamen Deum timerem & ordinatum ab eo regem offendere TEMERE *non auderem.*

Neque permaneas in opere malo) Vide quod prava facinora & peccata magis, quibus rex offenditur, quam aliud quippiam vetet, ut infra latius probabimus. Si peccaveris temere derelinquendo regem noli in peccato perſeverare, redi ad bonam mentem & obſequium.

Quia omne quod voluerit faciet. Ubi verbum regis, ibi poteſta) Quia in tanta poteſtate conſtituto tam pronum te de medio tollere, quam jubere, & rem effectam dare quam aliis loqui, quia extemplo res verba ſequitur.

Αὐτίκ' ἔπειτά γε μῦθος ἔτω τετέλεστο
τὸ ἔργον.

Nam ſimul ac dictum verbum eſt, factum illicò extat.

Nam pravitas, ut hic vertam Plutarchum, *à potentia celeritatem conſecuta omnes animi motus in facta vertit,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

de ira cædem, de amore adulterium, de avaritia publicationem bonorum alienorum facit. nam ſimul dictum eſt, periit qui offenderat, ſimul in ſuſpicionem incidit qui delatus erat occiditur.

Quis eſt, qui ei dicat quid agis?) quis eum monere, quis reprehendere, quis rationem exigere audeat? Seneca de clementia: *Quid mirabilius, quam eum, cujus iræ nihil obſtat, cujus graviori ſententiæ ipſi qui pereunt aſſentiuntur, quem nemo interrogaturus eſt, imo ſi vehementius excanduit ne deprecaturus quidem, ipſum ſibi manus injicere?* Duabus igitur de cauſis jubet nos regibus non reſiſtere, *propter conſcientiam* & *propter iram*, ut ait Paulus. propter illam, ſi juſta imperaverit: propter hanc etiam ſæpe, cum iniquis eſt. Eſt enim hoc prudentiæ: Heſiodi etiam & Homeri monitum, *ne cum potentioribus contendamus.* alioquin in quibuſdam non obſequendum regi, & monendum etiam errantem ali-

quando, & plane ei dicendum, *quid agis* ne ipſi quidem aſſentatores negaverint. Sed vis argumenti in eo eſt: ſi peccantem & modum juris ſui excedentem regem vix ſatis tuto admoneas officii, & vix retinere potes; quanto magis tibi providendum, ne contumacia eum in te concites. Huic loco conſonat ille Proverb. XXIV. *Mi fili, time Dominum & regem, nec cum rebellibus te commiſceto, quia repente conſurget perditio eorum, & ruinam eorum quis novit?*

Jam in Pſalmo ſecundo quod vates ait, *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos*) Ut jam, quod quidam volunt, ad Davidem ſpectet, quid inde effici poteſt? De regibus & populis adverſum eum conjuratis loquitur, *ut vas figuli contriturum & fracturum.* Quanquam quibuſdam ne hoc quidem tyrannicum videtur. Hilarius: *id quod nobiſcum eſt,* REGES EOS IN VIRGA FERREA (*quanquam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ipſum REGES *non tyrannicum neque injuſtum ſit, ſed & æquitatis & moderationis regimen rationale demonſtrat) tamen molliorem adhuc regentis affectum proprietas Græca ſignificat: quod enim nobiſcum eſt,* REGES EOS, *cum illis eſt* ποιμανεῖς, *id eſt paſtoraliter reges, regendi ſcilicet eos curam affectu paſtoris habiturus.* probat autem ibidem tum ex veteri tum ex novo teſtamento, virga non ſignificari jus tyrannicum. quæ vide, ſi lubet.

Dîs non maledices & principem populi tui non execraberis) Principem quidem, dum princeps, omni tum verborum tum factorum honore proſequendum toties diximus. addimus non tantum falſis ſed veris etiam maledictis abſtinendum. Quod ſi etiam reſiſtere ei neceſſe eſt, modeſtiam & moderationem tamen exuere fas non eſſe omnes boni conſentiunt. Hæc quid pro jure impotentiæ regiæ faciant velim nos doceant ejus fautores, præſertim cum hic

Moy-

Moyſes de principibus in libertate, qui non tantum in ordinem cogi ſed etiam puniri poterant, loquatur.

Jam illud Davidis: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci)* Etiamſi nihil nos vetet cum Arnobio, Hieronymo, Chryſoſtomo, Ambroſio aliiſque veterum accipere, quando impunitatem in ejuſmodi delicto juris regii eſſe probavimus, tamen ut dicam quod ſentio, mihi illa interpretatio minime ſit probabilis: quaſi vir ſanctus conſcientia & pœnitentia delicti ſui exagitatus & abjecto ſanctè animo, de impunitate illa regia & jure ſuo cogitarit; quum iniquas etiam pœnas, quales poſtea ſenſit, ſibi viſum meruiſſe crediderim. Senſum puto tota inſpecta ſententia: Tu ſolus juſtè judicas, ſolus καρδιογνώστης, nec reſpicis perſonatam illam magnitudinem meam, ut cæteri qui me circumſident: quorum alii non vident iniquitatem meam quam malis arti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

bus & ſpecioſis nominibus abſcondi alii plaudunt etiam, ut ſolent aulici, flagitiis meis, quaſi regiis facinoribus, &c. Ait enim paulò poſt, *Deum delectari veritate quæ eſt in abdito*; & clam populo facinus feciſſe, tum ipſa hiſtoria, tum verba Nathaanis revincunt. Pſal. CXIX. *Scio juſta eſſe judicia tua, tu me fideliter humilem reddidiſti.* Paulum Apoſtolum ſic hæc accepiſſe apparet & ex illis hujus periodi verbis, quæ citat ad Rom. C.III. verſ.IV. γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης· καθὼς γέγραπται· Ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου, καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε.

Ejuſdem vanitatis eſt, quod ex jure regum Hebræorum regiam licentiam confirmare conantur. non enim ſi vel licentioſiſſimum fuiſſet, id vicem legis apud alios populos habendum eſſet. Populum enim Judæum poſcendo regem Deum graviter offendiſſe & ab irato ipſo regem

obtinuiſſe, ſi per regium defenſorem ſacræ hiſtoriæ credere licet, veriſſimum certiſſimumque eſt. Dederat enim illam in qua vivebant civitatis formam non homo ullus, ſed Deus ipſe: & dederat in ſolitudine, nondum promiſſas fato terras, ſed arma tantum & tentoria ſua habitantibus; eo rerum tempore, quo, ſi unquam, ratio rei militaris liberum unius imperium poſtulabat. ſatis oſtendens rebus naſcentibus & nondum conſtitutis, quam civitatis ſpeciem rebus compoſitis præferret. Et quid erat, quod jure deſiderarent in iſta civitatis temperatione? quod mutare niſi in pejus poſſent, in illa republica, in qua populus liber, optimi adminiſtrabant remp. legum imperium, in qua, ut verbo omnia complectar, ipſe Deus legiſlator, rex & Dominus erat? Ergo cum in pejorem ſtatum converſam voluere rempublicam, peccavere procul dubio, idque eo magis quod deſciſcendo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

do à ratione & inſtitutis majorum legiſlatorem contemſerunt,& Deum regem ſuum, regem hominem flagitando, rejecerunt. Si qui ſatellitem & miniſtrum regi ſuo adæquet, majeſtatis poſtulatur, nec ab homine homini tanti criminis venia datur, an qui hominem caducum animal, quod vix ſine crimine longo intervallo proximum poteſt haberi, Numini exæquaverint, nedum divino præferentes imperio humanum antetulerint, divinæ majeſtatis non teneantur? *Non te rejecerunt*, inquit, *ſed me, ne regnem ſuper eos juxta omnia opera ſua, quæ fecerunt ex quo eduxi eos ex Ægypto & ſecuti ſunt Deos alienos, ſic faciunt & tibi.* Obtinent illi plane antiquum & more ſuo faciunt, toties jam à ratione & diſciplina ſacrorum meorum defecerunt, nunc etiam à diſciplina civitatis meæ deficiunt,modo me in re divina nunc in humana repudiant, & ne ſemel tantum rejiciant etiam in te rejiciunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ciunt. ingratus populus : liberavi eum ſervitute & dedi ipſe leges æquiſſimas, petit rurſus dominum: aſſerui eum in libertatem, poſtulat, nequid mei beneficii habeat, duram ſervitutem, quaſi omnia pati paratus, dum mea imperia ne patiatur. Nec fruſtra profecto inanium deorum cultui componit quam petebant ſervitutem, quia nihil unum ſibi ſimilius quam iſta duo. *Idololatria enim eſt* (verba ſunt Tertulliani) *quicquid humani honoris modum ad inſtar divinæ ſublimitatis extollit*: Idololatræ & ſuperſtitioſi defunctos plerumque homines pro Deis colunt; adulatores regum & aulica illa mancipia vivos: (*Parum autem intereſt*, ut ait Tertullianus, *hujus an ſuperioris ſeculi vivis ſuperſtitio præſtetur*,) illi vero numini res vanas & caducas anteferunt, hi homines hominumque libidines: illi in inſanis templorum molibus & luxu & prodigalitate rei divinæ; hi in auri, gemmarum, pur-

puræ

puræ & diadematis fulgore ſuperbarumque domuum majeſtate ſtupent: illi vitiis & flagitiis Deum quem putant adorant; hi tyrannorum bonam gratiam plerumque per ſcelera quærunt; illi ſummum bonum malum credunt, hi ſummum jus injuſtum: illi honorem habent Deo tantum quia timent & quem timent odio habent; illi quoque metu tyrannos adorant: mallet Deum non eſſe, quia odit, ſuperſtitioſus; tyrannum quoque ſublatum mallet adulator: itaque ut illi voto impii & *ἄθεοι*; ſic hi plerumque parricidæ regum ſunt. Qua de cauſa etiam præter cæteras graviter reprehendit Deus hanc Judæorum perverſitatem & diſertis quidem verbis. Et quiſquam tam impudens dicam, an impius, qui, illo accuſante qui penetrans in intima pectoris unus recte accuſat & ſimul damnat, illo iram ſuam profitente cujus ira juſtitia eſt, Judæos defendere & peccato audeat abſolvere?

hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

hæc tu (ô quem te nominabo?) pro ingenio & pietate tua hæc Dei verba adulterare interpretando, & numen ſummum, proh nefas! de te metiri, numini adulantis & mentientis perſonam imponere audes? Quid enim aliud agis, cum negas Deum hæc revera iratum ſed ſimulantem iram in gratiam Samuelis, cujus liberis abrogatum volebat imperium, protuliſſe? Scilicet homo ambitione & imperii cupiditate æſtuans Samuel tam malevolo ſolatio indigebat, nec niſi populi peccatis maloque publico ægrum animum componere poterat. non eum fugiebat, hanc eſſe Dei mentem & voluntatem; ſed Deum & fata ſibi cedere volebat. non ignorabat in eo verti ſalutem ſummam, ſed privatum compendium & ſuorum fortunas reipublicæ præferebat. vide quo prolabantur homines, cum quod volunt, valde volunt. non viri tanti reverentia, non oracula, non horror numinis te tenet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

quin hæc ad libidinem rapiens tuam invitâ hiſtoriâ ſacrâ ipſam oppugnes? Improbat palam facinus populi Deus; tu illud laudas & comprobas. comparat illud impietati & ſuperſtitioni, tu ſine numine negas factum. deſertum ſe & ſpretum teſtatur, tu ex divino imperio éque republica commiſſum vis? Facis profecto ne miremur, quod de viro ſanctiſſimo malè exiſtimas, eumque ambitionis inſimulas, qui talia in ipſum Deum convitia evomis, qui claris ejus verbis palam contradicis. Melius ſanctiuſque & haud dubio vere veteres, & inter eos vir magnus Flavius Joſephus, qui populi poſtulata ea de cauſa ægre eum tuliſſe teſtatur, quod ſingulare imperium ut nimium & immodicum vir juſtitiæ amantiſſimus non probaret, optimum vero optimatium imperium cenſeret. Nec eſt quod ideo recte & bene feciſſe putes populum, quod lege permiſſum videtur, regem petere. permiſſum

enim non juſſum, conceſſum non mandatum, qualia multa prono ad pejora & meliorum plerumque pertæſo. Verba hæc ſunt: *cum ingreſſus fueris terram, quam tibi Deus daturus eſt, & eam poſſederis & habitaveris in ea, & dixeris, conſtituam regem ſuper me, ut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* non ait, regem facito, ſed *ſi dixeris, faciam mihi regem*; ſi aliter retineri non potueris, ſi libertas tibi, ut ſolent bona, tædio fuerit, ſi tanta fuerit regis cupido ne eum ſaltem ex libidine crea ſed conſulto prius Dei oraculo. apud Joſephum Moyſes: Ἀριστοκρατία μὲν οὖν κράτιστον καὶ ὁ κατ᾽ αὐτὴν βίος, καὶ μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε, τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, κατ᾽ αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες· ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι· Βασιλέως δ᾽ εἰ γένοιτο ἔρως ὑμῖν, ἔστω μὲν οὗτος ὁμόφυλος, &c. *Optimum eſt optimatium*

tium regimen, & in tali rep. vita. nec alius formæ deſiderium vos capiat, ſed hac contenti ſitis, leges pro dominis habentes & juxta illos veſtras actiones dirigentes. Sufficit enim Deum habere præſidem. Si vero cupidine regis flagraveritis, ſit ille quidem veſtræ gentis, &c.

Et fuit illa ab antiquo non magiſtrorum, ut tu ais, ſed virorum divinorum & patriæ amantium (quis autem melius nobis verba Moyſis interpretetur?) ſententia, neminem unum in Judæis regnare, & cum Deo quodammodo in imperii conſortium venire fas eſſe. Samuel tibi (nefas!) ſuſpectus eſt: audi alium ducem ſublimi animo & divino ſpiritu plenum, & liberatorem Judææ: audi virum, quem non abdicavit, ſed ambivit ultro, & repulſam paſſum eſt regale imperium. Gedeon eſt: cui cum ob aſſertam libertatem & ingentia merita populus certatim ſceptrum deferret, & quidem hæreditatem liberis ejus; *non ego*, dixit,

do-

dominabor vobis, non filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus. Quid hoc eſt, *non ego dominabor* ſed *Dominus?* nonne reges conſtituit Deus? nonne cor regis in manu ejus? an minus poteſt ubi unus omnia? Quid ergo recuſat dominatum, ut Deus dominetur? non alia profecto de cauſa, quam quod accipere ſummam poteſtatem, ubi ſibi eam Deus & legibus reſervaverat, conſtitutamque recte civitatem in alium ſtatum convertere ingens nefas & piaculum æſtimaret. Unde apud Joſephum inter ſacras illas & cygneas jam jamque morituri Moyſis voces, & hoc eſt monitum, *ne unquam conſtitutam reipublicæ faciem in aliam transforment.* Nec illud cauſam regem ſibi petentis populi meliorem facit, quod jam olim *regia poſteritas promiſſa Abrahamo.* Non enim populi illud fuit fata inventura viam interpretando res novas moliri; ſed Deo parere, leges ſibi datas ſancte ſervare, nec reipu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

blicæ beatiſſimam temperationem deformare. Quamvis enim regum ſtatum & conditionem pulcherrimam & magnificentiſſimam eſſe facile conceſſerim, minime tamen inde effici poteſt, beatiorem melioremque eſſe populi ſub regno, ſed potius deteriorem & infeliciorem vitam: quando iſta bona ejus generis ſunt, ut quicquid honori & beatitati unius addunt multorum fortunis detrahant, nec quenquam magnum faciant & fortunatum niſi calamitate & miſeria aliena.

Nihilo validius ad regni commendationem quod Deus toties, quod Meſſias, *Rex* in ſacris appellatur. niſi forte ſervitutem nobis commendat, quod idem *Dominus dominorum*: aut malos genios & ſacra eorum impia, quod *Deus Deorum* vocatur. Similitudines iſtæ habent ſemper aliquid ἄκυρον, neque per omnia unquam reſpondent: ſatis eſt quod in una atque altera re. Rex in eo Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſimilis, aut etiam, ſi ita vis, tyrannus, quod inter ſuos maximus, quod potentiſſimus, quod unus. Sed illius magnitudo optima, potentia juſtiſſima, unde *optimus* merito & *maximus* etiam tum à gentibus appellatus, cum bonitas ejus nondum ſatis cognita eſſet & perſpecta. Alia eſt hominum conditio, quos non ampliſſima fortunæ munera meliores faciunt, nec ſummum rerum humanarum culmen ſupra vitia ſua extollit. maximi ſæpe & peſſimi ſunt. Quare cum libera eſt eligendi facultas, fugienda potius quam ſequenda illa regnantium nimia magnitudo. At enim *reſpexiſſe ſe populum* ait Deus *& preces ejus audiviſſe*, cum Saulem daret. Dedit ergo beneficium. Quod ut rectè intelligamus, meminiſſe nos oportet, populum Hebræum, prout caſtos ſanctoſque duces aut rurſus profanos & flagitioſos habuit, victorem fere aut victum fuiſſe, moribus imperatorum publicos mores

& publicam fortunam trahentibus. Samuele viro religioſiſſimo optimoque ſummum magiſtratum gerente omnia domi foriſque læta fuerunt & ſecunda. ubi degeneres filii judiciorum veritatem & religionem muneribus nocentium poſthabendo, à vero deflectere cœperunt, jam attollebant caput Philiſtæi, jam Noas Ammonitarum rex bellum movebat. Eo metu cum de talium principum fortuna nihil boni ominarentur, perculſus populus, ad patrem decrepitum & Deo jam & ſacris vacantem confugit, poſtulat alium principem & belli ducem, ſed non ut ſueverat, ducem, *Regem* poſtulat ad exemplum accolarum ſuorum: quaſi non in indulgentia & benevolentia Numinis, ſed in immoderata hominis poteſtate fortuna ſua verteretur. Recte iſtuc quidem, quod ad Dei opem & auxilium confugientes ducem & imperatorem precibus expoſceret; at perverſe, quod mutatam ſum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſummam voluit rempublicam, modumque & rationem ſubveniendi ſibi & quidem pravam Deo præſcripſit. Indulſit ei utrumque Deus: alterum quidem ingens beneficium, unde *reſpexiſſe ſe eos*, daturumque ducem qui à Philiſtæis eos liberet, dicit: alterum beneficium tantum, quia petebant. itaque & invitus & iratus, dedit tamen hoc precibus eorum. Nam indignatio quidem Dei tam manifeſta eſt, ut Maimonides autor ejus opinionis, quod Deus ſacras terras ingreſſo populo & hoc in mandatis dederit, ut regem nominarent, offenſum & iratum Deum regem conſtituiſſe negare non poſſit. cauſam quidem iræ divinæ putat, non quod regem optarint: ſed quod non rectè & ordine, ſed ſeditioſis vocibus; non ut fatis parerent, ſed ut divinum virum, cujus pertæſum, abdicarent, poſtulaverint. Alii offenſum Deum volunt, quia non regem tantum, ſed ad *exemplum cætera-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

rum gentium regem peterent. Falſo quidem utrique. diſertè enim hiſtoricus ait, *peccaſſe populum regem petendo.* Nemo tamen præter defenſorem regium inventus eſt, qui tam audacter hiſtoriæ divinæ obſtrepere auſus, ut Deum negaret iratum iis fuiſſe. non ſemel enim quaſi providens petulantiam & impudentiam noſtri ſeculi, illud repetit propheta. Samuel enim regni conditionem, durumque illud & pœne iniquum jus Dei verbis proponens, addit denique: *In illa die clamabitis à facie regis veſtri, ſed non exaudiet vos Dominus, quia petiſtis vobis regem.* Anima profecto ſubjectorum non tam propria dominis dicatur, ut duro & iniquo preſſis jugo non ſupplicia, non juſtæ preces, non gemitus ſaltem corporibus ſervientibus, & ſuſpiria, quibus ad ſummam illam provocent poteſtatem, libera ſint. Fuerant antea in Ægypto Judæi devincti regis dominatione, fuerant ſubacti ab Æglone,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ne, caſtæ tamen preces *& clamor ad Jehovam* (ut aiunt Hebræi) cito eis liberatorem & libertatem reddiderunt. Nec quiſquam (puto) exiget hic ut oſtendamus, quantum gratiæ potentiæque piis apud Deum precationibus: cum placaverint toties deſertum & derelictum, cum toties effecerint ut poneret fulmina jam mota & averteret mala publica, cum ipſa denique fata propemodum revocaverint. Cum igitur Deus fuſis ex animo precibus, ut acceptiſſimis ſibi ſacris, flecti gaudeat, magnam profecto luem populum commiſiſſe oportet regem petendo, quando ſe ideo preces eorum deinceps repudiaturum minatur, & ea lege iis concedit quod petunt regnum, ne deinde eos malis eripiat regni, nec preces eorum exaudiat. Etſi cui nec verba tam gravia, tam diſerta ſatis magni ponderis ſunt, credat ſaltem (quanquam quid credat, qui verbis divinis non credit?) mi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

raculis, & portentoſis pluviis, quibus, Samuele interprete, ipſe Deus delictum populi & iram ſuam oſtendit: credat denique confeſſioni populi, qua ſe Samueli commendat: *Ora*, inquit, *pro ſervis tuis Dominum Deum tuum, ne moriamur. adjecimus enim omnibus peccatis noſtris etiam hoc, ut regem nobis peteremus.* Quæ cum ita ſint, quis æquum putet cæterarum civitatum ſtatum ad hunc, quem improbavit idem qui conceſſit Deus & quem infenſus dedit, exigere, nedum præferre libertati beneficio divino ejuſmodi regnum, quod pro pœnâ impoſitum potius fuit. Neque vero Propheta ait: *Hoc erit jus regum*, ut illud palam invertere audet interpres noſter: ſed *jus regis qui regnaturus eſt ſuper vos.* non omnibus, ſed vobis, qui jam ſub temperata & legibus adſtricta poteſtate unius vivitis, qui dominum potius quam verum regem flagitatis, vobis hoc jus dico. Quod ſi optimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

& beatiſſimus eſſet ille imperii ſtatus, qui vix probabilis eſt, tamen cautè admodum cæteræ nationes ad eum vocandæ eſſent, cum pro ingenii & morum diverſitate aliud aliis juſtum in publicum & utile ſit: quanto minus cum à Deo ipſo tantum non damnatus, & ad exemplum ſervientis Orientis & Ægyptiorum inſtitutus, Ægyptiorum, qui *aliquando ſuis dominis, Perſis & Macedonibus, nihil ab ultimis mancipiis diverſi, ſervierunt, &*, ut ait Joſephus, *nullum unquam diem liberi egerunt.* Quanquam ne hoc quidem regnum infinitâ licentiâ, nec Judæi, quod ei reſpondet, verè ſub regibus ſervi fuerunt, ſed liberi homines, & *fratres* ut eos vocat legiſlator, regis, jus ſuum ſuarumque rerum proprietatem, quamvis imminuta, habuerunt tamen. Ac plurimi interpretum Samuelis hoc durum & aſperum jus, non jus regium, ſed pravam conſuetudinem regum fore, ex eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

probant, quod vox eadem quæ hic eſt in Hebræo (מִשְׁפָּט *Miſpat.*) cap.II. verſ. XIII. palam *conſuetudinem perverſam* ſignificat. Deinde, quod ne mali quidem in Judæis reges, qui legibus conceſſa remittere adeo non ſolent, ut etiam ſpecie legum longè ſæviora imperent, tantum ſibi licentiæ ſumere unquam auſi ſint. Sed fac jus hic regium appellari impunitatem & licentiam regiam, ne ſic quidem in plena ſervitute fuiſſe probabis Judæos. ait enim *eos ſibi ſatellites lecturos, agros & vineta meliora erepturos & miniſtris ſuis donaturos, decimas ſumturos*, & ſimilia ſpecie ſummæ reip. adminiſtrandæ. quibus ipſis ſatis oſtendit, rerum & corporum ſuorum dominos alioquin fore; nec majora regibus licere. hæc enim omnia quodammodo ſpeciem habent reipublicæ & domus regiæ conſervandæ. Proponendo enim ſummam ſummæ fortunæ licentiam eos deterrere conatur, ne dominum ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

petant. in quo ridiculum foret ſi omiſſis gravioribus leviora tantum attingeret. Nec obſtat quod adjicit, *& vos eritis ei ſervi.* nam cum ſoleant in ejuſmodi oratione omnia in majus augeri, & hoc eſt: accedet conditio veſtra ad conditionem ſervorum. ſervis incumbit neceſſitas eam quam juſſit dominus vitæ ſectam ſequendi: leget ex vobis ſatellites, qui eum ſervorum inſtar ſequantur. ſervi omnia domino quærunt; vos non vobis ſed regi decimas acquiretis. ſervi nihil habent, nihil ſui deperdere poſſunt; rex agris veſtris optimis utetur ſæpe quaſi veſtri non eſſent. Præterea vox ipſa עֶבֶר *ſervus*, apud Hebræos generalis eſt & pro omni genere ſubjectionis & inferioris conditionis accipitur, ut & *dominus* omne genus imperii & præeminentiæ, ut κύριος Atticis, denotat. Aliquando in ſacris proprie ſervos conditione, aliquando ſolos aulicos & familiares regis, ut duplici & propiori vinculo il-

li obligatos (præterquam quod genus tum animo tum etiam neceſſitate quadam plerumque ſervile eſt, &, ut ait Sophocles, quo uſus dicitur Pompeius Magnus cum in Ægyptum deſcenderet:

Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται
Κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος
μόλῃ.

Quiſquis domum tyranni acceſſerit,
Fit ſervus ejus etſi liber venerit.)

aliquando omnes ſubjectos, aliquando præclarum tantum erga alium affectum & animum ſignificat: ut in loco ante ad teſtimonium citato, in quo Hebræi qui jam in ditione Saulis erant, *Samuelis* tamen *ſe ſervos* appellant. ſic quoque *dominari* dicuntur principes in libertate, mariti uxoribus. Hebræorum בועל *maritus* deducunt à בָעַל *dominatus eſt* ſeu *imperavit* generali nimirum vocis notione, ſive & abuſive, ut apud Latinos: *Dominus maritus*, atque etiam qui maxime ſervi *mulierum*

amatores, teſte Nonio. Sic quoque *dominæ* uxores & amaſiæ, ut notum eſt. Atticis κύριος maritus, quæ vox moderatioris imperii, & οἰκοδεσπότης, ut & uxor κύρια καὶ οἰκοδέσποινα. * Quidam alios ſolo affectu vel etiam adulatione, ſicut

Hoſpitis affectu, regem dominumque ſalutant.

Quare non tollunt hæc omnem libertatem, nec in manifeſto crimine jus reſiſtendi? utique ſi quis regum legem Moyſis palam abrogare, populum in Ægyptum reducere voluiſſet, jure ei reſtitiſſe populum nemo poteſt dubitare: cum etiam ſingulari homini in manifeſto vitæ diſcrimine reſiſtere licuiſſe Davidis exemplo probari poſſit. Nam eundem Sauli regi impio & à Deo rejecto, quem in poteſtatem habebat, neque intuliſſe manus & inferri prohibuiſſe, & Chriſtum etiam tum Domini, non lædendum ſine crimine, appellaviſ-

* Plutarchus (ἐν αἰτίαις)

ſe, & illius qui jactabat à ſe interfectum, vitam continuo pœnæ obtuliſſe, mirum non eſt. Nam præterquam quod Davidem perſequebatur, metuens ne ille habere mallet quam exſpectare imperium, (qui timor ſi in cædem innocentium debacchetur, injuſtus quidem ille, ſed tamen talis cui nonnihil condonandum cenſent rerum periti) in populum non peccabat, non eum male habebat, non jus regni, non divinum temerabat. Si in Deum peccaverat, at erat illud divini judicii. Manebat igitur rex legitimus, cui quidem in facinore ſuo obviam iri poſſet, at ſine magno piaculo inclementius appellari, nedum lædi aut de ſolio deturbari non poterat. Deſignatus quidem Rex David, ſed deſignatus, ut Sauli ſuccederet, non ut ei vitam & imperium eriperet, ad quam rem Dei mandatum non habens nihilo plus juris quam quilibet privatus habebat; imo potius minus, quia non ſubjectus tantum ſed etiam ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

gener, non ſine duplici parricidio ſanguine ejus manus commaculare poſſet. Quanquam putat Rabbi Levi BenGerſon, Davidem non tam modeſtiâ & pietate à Saule manum abſtinuiſſe, quam prudentiâ, ut regiam majeſtatem ſanctiorem faceret, & quod in præſens pietas vocabatur, in poſterum ipſi munimentum eſſet. Joſephus etiam juſta eum ultione ſingulari exemplo abſtinuiſſe cenſet. Nec iſtud probat regibus licuiſſe quodcunque liberet, quod inducta ficta & aliena ſuperſtitione veriſque ſacris repudiatis impia fraude ſæpe populum obligaverunt. Ea enim gentis iſta ætate indoles ut dum cætera tuta & felix eſſet, circa ſacra facile ingenia dominorum pateretur. quippe quæ, cum ſui juris eſſet, fictas ſponte religiones & alienorum Deorum fidem ſæpe ſecuta; ne tum quidem ſatis conſtans, cum Moyſe Duce vim & numen præſentis Dei oculis ſuis videret, quin, ſimul moleſtiæ & tædii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

dii tantillum devorandum, in ſeditionem exardeſcens & Ægyptiacam ſervitutem votis repetens, Deum & divina beneficia aboleret. Et vero tot rituum & cæremoniarum, tot leges horrendorum carminum, quando interpretatione convellere nequiret, viris divinis quæſtiones ad moderandam religionem neceſſarias explanantibus, lubentius & facilius rejiciebat. Nec in eo adverſa populi voluntate deliquiſſe reges ex eo apparet, quod plerumque quicquid hi delirarent ille plecteretur. Et ne illam putes imperii reverentiam, quod ob religiones inceſtatas in reges non exſurrexit, vide quomodo ſeſe geſſerit, ubi tributis & oneribus premeretur. Functo fatis Solomone Rehabeamum filium ejus adierunt decem tribus, & querentes de iniquitate exactionum & collationum, eorumque levationem ſeditioſe petentes, tanquam hac lege regnum daturi, de ſacris temeratis nullum verbum

bum fecerunt: cum tamen Solomon altaria in monte Oliveti Aſtarti, Kemoſo & Molocho ſtatuiſſet, quæ ccc per annos manſere, & tam ſacra aliena coluiſſet quam populum tributis & collationibus nimiis attriviſſet. Et vix legas ulla in hiſtoria, impiarum religionum ergo, quibus tot reges potentiam ſuam (ut putabant) firmabant, populum eos odio habuiſſe, aut Dei opem & miſericordiam imploraſſe, nedum bellum feciſſe. Quod cum omnibus contra regentium injuriam primum & certiſſimum auxilium, tum illi fortaſſis unicum eſſe debuit, cui extra ordinem per vates Deus ſuccurrebat & cujus regum electionem ſibi reſervaverat. Eo utique omiſſo, ſatis oſtendit, pietatem & voluntatem ſibi magis, quam jus ſacrorum tutandorum defuiſſe. Itaque etiamſi reges iſti circa ſacra peſſimi, nefarii reipſa tyranni fuerint, populo tamen lubente tenuiſſe habenas imperii non du-

dubitandum eſt. & eſt plane dignum iiſdem à Davide, omnium bonorum & ipſius Dei deliciis, deſciſcere & peſſimum quemque amare & ſequi. Nam in illis quæ commune odium habebant, & præcipue in rapiendis civium bonis, quam parum ſibi impii illi permiſerint, docet nos unius deterrimi Achabi exemplum: qui vineam concupitam Nabotho vendere nolenti ne pretio quidem perſoluto eripere auſus eſt, ni ficto eum crimine evertiſſet. Religiones illi, queis parere debebant, ex libidine agitabant, rem civium quaſi ſacram non auſi attingere, quamvis hoc ſuo illo jure poſſe viderentur. adeo omnia ponebant in populo, quaſi etiam Deus tuto contemneretur, propitio illo & volente. Unde & Hieroboamum facile tulerunt, quamvis idololatriâ Solomone longe deteſtabilior eſſet. In cujus hiſtoria mirum iterum ſcriptoris noſtri ingenium, qui ut neget nunquam
benè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

benè deſtitui regem, *Hieroboamum etiam regni accepti damnat, & factum ejus quo decem tribus à domo Davidis abſcidit ſemper, ait, improbatum.* Neſcio quidem an ab obnoxiis & venalibus mancipiis; illud ſcio non à ſacris ſcriptoribus, non ab ipſo Deo damnatum à quo juſſum erat. Non enim tantum regnum illi, ſi quidem ad exemplum Davidis ſe compoſuiſſet, ſed & felix imperium & firmam ſtabilemque longo imperio domum Ahias Dei verbis pollicitus erat. Juſſerat, inquam, imo fecerat rem ipſe Deus. ſic enim de ſe teſtatus eſt, cum Rehabeamum bello regnum repetere geſtienti *cum fratribus manum inire* vetuit. Quod tu hic crimen nobis fingis? An Deus neque recte neque pro bono fecit quod ea juſſit quæ tibi non placent? An vero Hieroboamus, quod divina præcepta ſequens imperium accepit? Mirum ni & Davidi inſultes, qui non alio titulo obtinuit regnum jure hæreditatis Saulis

filiis debitum. Imperii quidem per injuriam occupati nec tum nec poſtea coarguit eum Deus, cum cætera omnia in eo improbaret. Canens enim domui Hieroboami exitium, exprobrat ei benefacta ſua, *ſe eum de vulgo ſublatum impoſuiſſe Iſraëlitis, ſe tantam ei partem divulſi imperii dediſſe, ut Davidem virum divinarum legum obſervantiſſimum melius quam filii ſui redderet: at ipſum adeo non inſtitiſſe illius veſtigiis, ut futiles ipſe Deos finxerit, & figmentis ſuis divinos honores habuerit. Ideo,* inquit, *inferam mala domui Hieroboami, &c.* Non regni eum rapti, ſed religionis contaminatæ: non regiæ, ſed divinæ majeſtatis læſæ incuſat. Fuit enim profecto impius & perduellis, cum in callidis artibus plus quam in pietate reponens, & parum ſe imperii ſecurum æſtimans, ſi populus alienis ſacris uteretur, ſua ſibi excogitavit; nec populum ex lege divina Hieroſolymam arcem ſedemque imperii Judææ, ad ſanctiſ-

ſimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſimum religionibus templum commeare voluit. ſed impius & perduellis in Deum, non in Rehabeamum: quod pravis artibus regnum tutatus eſt, non quod quæſivit. Hæc illa ſeditio, illa ἀποστασία, quam in eo & poſteris ejus boni omnes & pii deteſtati ſunt, quam in Juliano fuiſſe Gregorius Nazianzenus ait, non quod à rege ſuo, ut tu falſo interpretaris, tribuens more tuo omnia quæ Dei ſunt regibus, ſed à regum rege defecit. Sed quid ego Hieroboamum, qui ex imperio divino remum, qui ex imperio divino regnum occupavit defendo? cum Baſaamum, qui nullo Dei juſſu hujus filio regnum & vitam extorſit, Deus *ſe de fæce aut pulvere elevaſſe & ad faſtigium imperii Iſraëlitici provexiſſe* conteſtatus, in eo tantum ingrati animi arguat, *quod depravatos ejus mores imitatus ſit, cujus ipſe filium de ſolio dejeciſſet.* Ut ſi iſta hiſtoria, qua tu te jactas, vim legis habet, tam tyrannicidium quam jus legitimorum regum

gum, tam bellum pravis regibus inlatum, quam obſequium bonis præſtitum, Dei autoritate comprobatum & ab ipſo fieri Deo ſtatuendum ſit: Sellumum quoque qui Zachariæ, & qui huic imperium abſtulit, Manehum, non minus in regibus numerari videas quam qui optimo jure. Nec illud omnino vanum, quod Jojadas Pontifex maximus collecta ex primoribus & centurionibus manu Joamum regem renuntiavit & regni faſciis evinxit, interfecta Athalia, cum tu alibi nec invaſores nec tyrannos rectè deturbari, hic autem Athaliam pluſquam mortem cenſeas meritam. At enim contra leges illa regnabat. quaſi aliquis ex lege alieno regno incubet. imo contra interpretum potius ſententias, qui quod Deus regem facere Judæis permiſiſſet non reginam, ſequiorem ſexum excludendum putaverunt. Sed regibus te judice quidvis licet, nullis legibus tenentur, & Abimelechus ideo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ideo ſe regem appellavit ne puniri poſſet. Quid heic tibi reſpondebis? quo confugies? Evadas, ſuadeo, auxilio magiſtrorum iſtorum, & neges te de reginis locutum, cum de regibus loquereris: ne etiam hic tecum lucteris & tua refellas quod toties facis, beneficio quidem nonnullo rudiorum, pro quo tibi, ut videas quam amice tecum agam, publice gratias ago. Quaſdam autem rebelliones juſtas & laudandas eſſe, ſi quid exempla valent, exemplum regis Ezechiæ adſtruit, (illa enim ejus in omni vitæ colore ſanctitas, illa virtus, ut facta ejus inſignia in publicum documenta & plane vice legis ſint,) qui imperium regis Aſſyriorum, cui parens ejus bene de ſe merito, quod obſeſſum à Syriæ & Iſraëlis regibus liberaverat, ſe & regnum ſubjecerat, filius excuſſit & ſibi aſſeruit. *Adſuit illi Deus*, ait hiſtoricus, *& in omnibus quæ molitus eſt ſapienter ſe geßit. rebellavit etiam ad-*

verſus regem Aſſyriorum nec ſervivit ei. Moyſes, ut antiquiora non prætercam, ſine ullo ſpeciali mandato, unum ex Ægyptiis qui juſſu regis Judæos ſervilibus officiis exercebant, privata manu occidit, eamque ob rem Pharao eum punire geſtiebat. Daniël flagitioſos & nefarios ſenes, qui Suſannam probri inſimulabant, privatus condemnavit. Samſon Philiſtæis, in quorum ditione erat, ſponte bellum fecit. Eglonem regem Moabitarum jam ſpatium octodecim annorum ſubactos bello Ebræos tenentem Ehudes per cauſam munera ei tanquam regi ferendi interfecit. Sic in tyrannorum ſatellites, ſic in conſceleratos homines, ſic in ipſos reges ivere Hebræi heroës. & horum tu exemplis tyrannorum licentiam ſtabilire te putas, ut te non impium tantum, ſed etiam ſtultum probes? At enim divino iſti ſpiritu in facinora rapiebantur, quæ temere non ſunt imitanda. Liceat tamen

&

& hodie eſſe viris piis & magnis, oro te, quos nullos unquam fuiſſe ſine adflatu divino & magno ſcelerum odio etiam pagani viderunt. Quod ſi imitanda illa non ſunt, quid illa quæ pro te faciunt producis, ſola illa, quæ adverſantur, rejicis? Quid etiam argumentaris ex illis, quæ ſingulari Dei imperio facta ſunt? *Nebuchadnezarem*, inquis, *vocat ſervum ſuum, Deus, quantumvis immanem & tyrannum, & ejus jugum omnes populos ſed præcipue Hebræos ſubire jubet. Ergo ſcilicet non licet tyrannis reſiſtere.* An Deo jus hoc non eſt, ut populos in ſervitutem tradat alii, & pœnam petat de ſic meritis? Aut ſi illud jus erat Nebuchadnezaris, quid opus erat juſſu, & quidem tali quo ad certum tempus ſervire juberentur? Quin tu potius inde efficis, nihil regibus adverſus reges alios, quantumvis hoſtes, quamtumvis tyrannos, licere; cum reges cum regnis in ſervitutem ei addixerit. *In gentem illam & in regnum illud*, ait Prophe-

ta, *quæ non ſervierint Nebuchadnezari regi Babyloniæ, & non ſubdant collum ſuum ſub jugum ejus, gladio, peſte, ferro & fame animadvertam.* Quod ſi iſto mandato nec cæterorum regum jus imminuit, quid eſt quod imminuiſſe credamus cæterorum populorum libertatem? Quid quod idem Deus, cæteris captis & abductis, reliquiis Judæorum in Palæſtina ſe contra regem adfuturum pollicebatur, nî ipſi parum conſtantes in Ægyptum concedere maluiſſent. Quid quod ſuperbius imperitantem Nebuchadnezarem dejecerunt etiam ſui de ſolio regni & gloriam ejus ab eo removerunt? Jam regibus ideo omnia permittitis (ait enim hoc alter ille nugator) *quia heroico ſpiritu pleni ſunt*: ſcilicet etiam tyrannis; civibus nihil, quia ne boni quidem eo aguntur. In ſolis privatis, opinor, ceſſavit virtus & Dei inſtinctus, in regibus manſit. modo ad neminem pertinent veterum exempla, modo
ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ad omnes reges. Quæ iſthæc (malum) ratio & petulantia eſt, ſacras autoritates ex libidine recipere, aut rurſus rejicere? quæ tibi placeant exempla omnibus pro lege injungere, quæ diſpliceant nihili ducere, & ut tyrannorum ſcilicet majeſtatem conſerves, tyrannica in re ſacra licentia uti? Tale & illud, *quod reges qualeſcunque non niſi Deo pœnas dare debeant, quia regum peccata publicis populi calamitatibus ſæpe expiantur.* Quaſi non reges pro civitate, ſed civitas pro rege perire & acceſſio regiæ pœnæ populus etiam bonus eſſe debeat & quaſi non illud argumentum potius, debere reges à populo in ordinem cogi, ne ipſi vicem ejus aut ſimul cum eo pœnas pendant, utique non debere veſtro more omnibus flagitiis conſentire. Sed parcamus inde argumenta promere quæ captum noſtrum adeo exſuperant, & illa quæ vera & certa ſunt noſſe ſatis habeamus. non enim niſi ob ſcelerum ſocietatem & alia peccata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Sæpe Dieſpiter
Neglectus inceſto addidit integrum.

Sic etiam ob peccata populi reges puniuntur. Prov. *Reges*, inquit, *palam improbos, populorum tormenta, ſanguiſugas Deus hoc ſolo nomine ſæpe tuitus eſt, quod reges ſunt.* nimirum quia ſivit quoſdam aliquandiu rerum potiri. Mirum ni & ſicarios & latrones, qui ſæpe diu impune graſſantur, ſingulari Dei cura quia latrones ſunt (ea enim ſe arte tuentur) ſalvos & ſanctos Deo eſſe pronuncias. Nam re ipſa id dicis, verbo tantum ſiles, cum nec meritis multum differant & fortuna ſæpe eadem utantur. *At enim reges à Deo conſtituuntur, & Homerus dixit, eos regnare quibus dederit Jupiter Saturnius.* Præclarum & magnificum teſtimonium, ſed non ſolorum regum eſt. Omnis juſta poteſtas, ſive illa ſumma ſive inferior, ſive illa ſoluta ſive alligata legibus humanis, à Deo conſtituta eſt. unde Chriſtus jactanti poteſtatem ſuam Pilato: Οὐκ εἶχες

ἐξουσίαν

ἐξουσίαν οὐδεμίαν κατ' ἐμοῦ, εἰ μὴ ἦν σοι δεδομένον ἄνωθεν. Procurator tamen Cæſaris, non Cæſar Pilatus. nec Chriſtus eum ſumma & infinita cum poteſtate eſſe, quod ſuperne ei & divino munere conceſſam poteſtatem eſſe, nedum Cæſari non ſubeſſe dicat. Auguſtinus: *Talem ipſi Deus dederat poteſtatem, ut eſſet & ipſe ſub Cæſaris poteſtate.* Poteſtates in optimorum & populari ſtatu à Deo æque ac in regno præficiuntur: nihilo minus tempus iis plerumque imperii præfinitur, multis legum conditionibus adſtringuntur, multis vinculis continentur, & ſi capital commiſerint, capitis poſtulari poſſunt. Nam ſi à Deo neges conſtitui qui ab hominibus conſtituuntur, quis tibi tandem eorum qui hodie reges ſalutantur à Deo conſtitutus? quis rex eſſe videbitur? Eligitur hic: at homines illum imponunt. Succedit ille ex lege: at leges illæ humanæ ſanctiones ſunt. Alius ex teſtamento ſuccedit: at te-

ſtamentum hominis ſuprema voluntas. Alius bello peperit regnum: at bellum per homines geritur. Soli fortaſſe invaſores & tyranni à Deo tibi conſtitui videbuntur: quia etiamſi à ſectatoribus ſuis promoventur, jus tamen ab hominibus nullum habent. At ſi iidem à Deo conſtituuntur etiam qui ab hominibus, aliter Deus eos, aliter homines conſtituunt; & iſta ſimul vera eſſe, quod non patitur defenſor, poſſunt. Ac triplici quidem ſenſu in ſacris reges à Deo conſtitui dicuntur. Primum illi, quos Deus oraculo aut per vates ad regnum evexit, ut Saulem, Davidem, Hieroboamum alioſque quibus jus Deus dedit imperii. qui tamen ipſi etiam ab hominibus conſtituti dicuntur, ut *Hieroboamus à Deo,* Regum lib. I. cap. IX. *ab Iſraëlitis,* eod. lib. cap. XII. Nec Saul nec David, etiamſi à Deo ſceptro donati, jure regio uſi ſunt, priuſquam populi voluntas divinis mandatis accederet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Deinde conſtitui à Deo reges dicuntur ut providentia Dei agnoſcatur, & quæ per homines aguntur, vi tamen majori & occulta & nobis incognita numinis ratione procurari credamus. Atqui ea ratione omnes reges tam boni quam mali conſtituuntur à Deo. Sic ad Pharaonem. Exod. IX. *Propter hoc conſtitui te.* Nebuchadnezarem Daniël. cap. II. *Deus cæli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi.* Eodem ſenſu in Pſalmo XXXII. *rex non ſervatur per virtutem aut robur multum:* ubi Baſilius: Οὐ στρατιωτικῆς δυνάμεως περιβολὴ, οὐ τείχη πόλεων, οὐ πεζικὴ φάλαγξ, οὐχ ἱππικὴ δύναμις, οὐ ναυτικῆς ἰσχύος παρασκευὴ βασιλεῖ τὴν σωτηρίαν περιποιεῖ. κύριος γὰρ καθιστᾷ βασιλεῖς καὶ μεθιστᾷ, καὶ οὐκ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ὑπὸ Θεοῦ τεταγμένη· σώζεται οὖν βασιλεὺς οὐ διὰ τὴν πολλὴν δύναμιν, ἀλλὰ διὰ τὴν θείαν χάριν· ὥσπερ οὐδὲ γεωργὸς τοσοῦτον διὰ τὴν γεωργικὴν ἐπιμέλειαν τυγχάνει τοῦ γεωργικοῦ μέρους, ὅσον διὰ τὸν αὔξοντα

τὰ γεωργούμενα Θεόν. οὔτε γὰρ ὁ φυτεύων ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός. *Non militaris potentiæ munimentum, non muri urbium, non pedeſtris phalanx, non equeſtris vis, non rei nauticæ apparatus, regem ſervat. Dominus enim reges conſtituit & deſtituit: & nulla eſt poteſtas niſi à Deo conſtituta. Servatur igitur rex non per multam virtutem ſed per divinam gratiam. quemadmodum neque agricola tantum per agriculturæ diligentiam aſſequitur fructum, quantum per culta augentem Deum. neque enim qui plantat aliquid eſt, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Ita quidem recte dicimus, non homines ſed Deum regem conſtituere, & miniſtros etiam & poteſtates inferiores non regem ſed Deum conſtituere, ut Chriſtus: id eſt Deum in rebus humanis miniſterio hominum tamen uti. Conſtitui à Deo dicuntur, ne forte temere ad regnum provehi putemus. Auguſtinus: *Ipſum dare regna terrena bonis*

bonis aut malis, neque hoc temere & quaſi fortuitò, quia Deus eſt non fortuna, ſed pro rerum ordine ac temporum, occulto nobis, notiſsimo ſibi. ita & omne malum etiam in civitate à Domino. ita Joſephus ad fratres, *non eorum conſilio ſed Dei voluntate ſe in Ægyptum eſſe miſſum.* & verum eſt de his omnibus illud,

Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

Ita conſtituit & deſtituit Deus reges, ita imponit, ita deponit. Eſaiæ LIV. *Ego creavi interfectorem ad perdendum.* Hoſeæ VIII. & XIII. *dare Deum populis regem in furore, principes quos non cognovit, dominatores qui non extiterunt ex eo.* Dat eos Deus, & non cognovit: dat eos & non extiterunt ex eo. Imo diabolus princeps hujus ſeculi *ſæpe poteſtatem terrenam dare* dicitur, Luc. IV. Apoc. XIII. Sed hæc conſtitutio divina per ſe quidem jus nullum dat regibus, non magis quam ſeditioſis & invaſoribus & Joſephi fratribus ad vendendum fratrem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Falſum igitur, quod ille ait, etiamſi populus repetere ſuum jus poßit, tamen alio jure regnare reges, quod non eſt penes populum, nempe jure divino, quod cum ſolus Deus conceſſerit, ita ſolus poſſit repetere. Nam etiamſi non tantum tota hæc rerum natura mente & ratione numinis regatur, ſed homines etiam & res inter homines maxima rerum publicarum adminiſtratio, in qua tantum ſibi arrogat & tam parum poteſt humana providentia, ſingulari quadam ratione numinis procurentur: etiamſi à fatis & ſtabilitas omnis imperiorum, & contra, *inſignibus attenuatis obſcura promantur*, ubi, — *Sic potenti*

Juſtitiæ placitumque Parcis,

tamen quia modus & ratio divinæ illius adminiſtrationis nobis ignota & occulta ſunt, judicare inde & jus metiri non debemus, non poſſumus. Quis enim eſt ille qui reducta illa & in interiore ſacrario cluſa arcana nobis reſignet? qui fatorum ſecreta canat?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

nat? qui quid velint & jubeant æternæ illæ leges noſſe ſeſe poſtulet? An ſatis eſt aliquem

Regem fatis ſe, dicere, poſci?

Quid ſi alius,

Fatis contraria fata rependens,

& ſua ſibi fata eſſe ſuumque jus jactet? Liceat nobis hominibus eſſe, & cum modeſtia & modo ſapientibus, iis contentis quæ ſub aciem humani judicii cadunt, ne non tantum *fruſtra æternis conſiliis minorem animum fatigemus*, ſed etiam ne Icariis iſtis alis ſublati in mare omnium turbarum & confuſionum decidamus. Sicuti enim quod *regnum nec militum nec regum virtute ſtare* dicitur, adeo non vetat forti exercitu, imo potius nos jubet uti: ſic quod *reges à Deo imponi* dicuntur, nihil prohibet, quid & quantum juris & an jus ſit illi, qui rex dicitur, ad imperium, & quantum civibus, legibus, moribus & conſenſu populi metiamur; quo regem à latrone, tyrannum à principe di-

diſtinguere poſſimus, nec omne rerum diſcrimen tollatur. Nam quod aiunt, *reges à Deo dari aptos eis qui eo tempore reguntur*, id quoque partim ſupra captum noſtrum eſt, tum ita accipiendum, ut peſſimi reges malorum pœna, bonorum virtutis materia ac ſeges ſint. alioquin malos reges ſæpe preſſiſſe bonum populum, & vitioſo populo bonos principes præfuiſſe qui negat, is ſe in omni tam ſacra quam profana hiſtoria hoſpitem profitetur. Tale & illud: *In pœnam populi imponi tyrannos & propter peccata*, ut ait Jobus, *hominem hypocritam.* Nam Deus idem qui nos pœnis caſtigat & exercet remedia earum nobis multa dedit. Contagioſa lues & quicquid eſt morborum, ſupplicia & criminum noſtrorum merita ſunt. Nemo tamen vetat adhibere manus medicas & ſalubri arte ægrum corpus levare. Bella quid niſi publicorum peccatorum divinæ animadverſiones? Jubemur tamen lecto

mili-

milite & omni belli apparatu ire in hoſtes & adverſus armatos armis nos defendere. Quid multa? omnia quibus colluctamur mala à numine ſunt: ſed non quiſquis iis premit, legitimus & juſtus Dei miniſter eſt, cum ſæpe de mediocriter malis peſſimi pœnas expetant, & magna clade alios caſtiget qui longe graviori ipſe dignus ſit. Nec iſta nutu & conſilio Dei fieri dicuntur, ut nos ſupini & cælum reſpectantes votis & precationibus tantum vacemus, ſed ut agnoſcentes ejus numen, illum ante omnia placantes, in illo præcipuam fiduciam reponentes, non deterriti ab iſtis inſanis fatorum interpretibus & tyrannorum ſatellitibus, demum humanis opibus & cum bono Deo ad recta & præclara facta incumbamus, & non tantum optimum augurium, ſed etiam fati ipſius placitum & mandatum credamus pro patria, legibus, & libertate fortiter facere. Quod ſi quibuſdam *ignava illa ratio*, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ἀργὸς λόγος dicitur, placet, aut eorum ſcita, qui de illis, quæ non intelligunt, audacter decernere auſi theologos ſe appellant, placeant, per me licet. interim, ubi de regum & populorum jure diſputatur, parcant ſcholaſticis nugis, nec nobis maximam generis humani partem heic quoque ad exitium aut exitio fœdiorem ſervitutem prædeſtinent. Præterea reges à Deo conſtitui dicuntur boni & legitimi, qui recte & ordine ad imperium perveniunt, quia Deus ordinem illum imperandi comprobavit: quique ideo à Deo conſtitui dicuntur quia à populo conſtituti. Unde imperatores etiamſi à Deo ſe conſtitutos, tamen populum omne jus ſuum ſibi dediſſe, ſcripſerunt. de quo mox latius. Atqui hæc omnia adeo non infirmant, ut etiam comprobent jus populi; cum nec in Judæis, ubi peculiari modo conſtituti reges, imminuerit. Uzias propter lepram à ſacerdote abdicatus
fuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

fuit, an propter animi flagitia lepra omni contagioſiora, peſtilentiora, deteſtabiliora, nihil populo toti licuerit? Sed hæc ante probavimus. Si tamen cæterorum Judæorum, poſt ſacram, opus eſt autoritate, iidem hic nobiſcum faciunt. Philo *regem* & *tyrannum contraria* eſſe ſcribit: *reges qui in perniciem populi magnam ſibi comparant potentiam, non reges ſed hoſtes eſſe, apertis hoſtibus longe perniciosiores, quando hos repellere pronius, illorum vitia difficilius detegantur.* Rabbini *reges Judæos verberibus coërceri ſolitos* volunt. Maimonides, *reges Judæ judicare & judicari, Iſraëlis nec judicari nec judicare.* Sed hæc obiter. quæ utcunque exiſtimata vel animadverſa ſint, haud equidem ponam in magno diſcrimine. Ad illa feſtinat animus quæ omni exceptione majora ſunt novæ legis oracula. Quæ ut ſequamur potius quam ad noſtra trahamus, Paulum Apoſtolum, ubi de imperio & ſubjectis ex profeſſo

agit,

agit, & ad eum cæterorum teſti-
monia audiamus.

Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑπο-
τασσέσθω. *Omnis anima poteſtatibus ſu-
pereminentibus ſubjecta eſto*) Vox ὑπο-
τασσέσθω denotat *recte & ordine ſub-
jecti eſtote.* Itaque Apoſtoli non tan-
tum eâ utuntur ubi ſervos & ſubje-
ctos erga dominos & magiſtratus,
ſed etiam ubi filios erga parentes,
uxores erga maritos, juniores in Ec-
cleſia erga ſeniores reverentiam ju-
bent. Petrus Ep. I. cap. V. νεώτεροι
ὑποτάγητε πρεσβυτέροις. quibus qui-
dem adeo infinitum jus non dat, ut
vetet eos dominari clero. Immo eo-
dem vocabulo omnes invicem cedere
modeſtiâ jubet. πάντες δ' ἀλλήλοις
ὑποτασσόμενοι, τὴν ταπεινοφροσύνην
ἐγκομβώσασθε. & Paulus: ὑποτασ-
σόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Θεοῦ.

Ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, *poteſtatibus ſu-
pereminentibus*) Petrus regi nos ſub-
jectos eſſe jubet ὡς ὑπερέχοντι. nem-
pe ubi ille ſummus eſt. Nam ſum-

mis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

mis poteſtatibus nos jubet ſubjectos, legibus, ubi leges ſummam obtinent poteſtatem, hominibus ubi homines. propriè autem hic Paulus de legitimo & jure imperante loquitur, ut ex ſequentibus apparet.

Οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ, αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν· *non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ vero ſunt poteſtates à Deo ſunt ordinatæ.*) Theophylactus ex Chryſoſtomo, ut ſolet ad hæc: Τί λέγεις; Πᾶς ἄρχων ὑπὸ Θεοῦ κεχειροτόνηται; Οὐ τοῦτο λέγω, φησὶν, οὐδὲ περὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστον ἀρχόντων ὁ λόγος μοι νῦν, ἀλλὰ περὶ τοῦ πράγματος αὐτοῦ. Τὸ γὰρ, ἀρχὰς εἶναι, καὶ τοὺς μὲν ἄρχειν, τοὺς δὲ ἄρχεσθαι, καὶ μὴ ἄνω καὶ κάτω τὰ πάντα φέρεσθαι τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας ἔργον φημὶ εἶναι. Οὐκ εἶπε γὰρ, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄρχων, ἀλλ᾽, οὐκ ἔστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ὑπὸ Θεοῦ. Ὥστε περὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος, τῆς ἀρχῆς, φημι, διαλέγεται· Ὥσπερ καί τις σοφὸς ὅταν λέγῃ, Παρὰ Κυρίου ἁρμόζεται γυνὴ ἀνδρί.

ἀνδρί· οὐ τοῦτο λέγει, ὅτι ἕκαστον συνιόντα γυναικὶ, αὐτὸς συνάπτει· ἀλλ' ὅτι τὸν γάμον ἐποίησεν αὐτός· Πᾶσαι οὖν αἱ ἐξουσίαι ὑπὸ Θεοῦ δικαίως τεταγμέναι εἰσιν, ὅταν ἂν σκοπήσῃς· κἂν τὴν τοῦ πατρὸς πρὸς υἱὸν, κἂν τὴν τοῦ ἀνδρὸς πρὸς γυναῖκα, κἂν τὰς ἄλλας πάσας· καὶ τὰς ἐν τοῖς ζώοις δὲ, ὡς τῶν μελισσῶν, ὡς τῶν γεράνων, ὡς τῶν ἰχθύων. *Quid ais? an omnis à Deo electus princeps? non de ſingulis*, ait, *principibus ſed re ipſa loquor. alios parere, alios imperare, nec omnia ſurſum deorſum ferri, id vero ſapientiæ divinæ opus eſt. Non enim dixit, non eſt princeps, ſed non eſt poteſtas niſi à Deo, ut de principatu intelligas loqui. ut cum ſapientes dicunt, non ſine Dei numine virum cum uxore conjungi, non de ſtupro & libidine ſed de juſto matrimonio loquuntur. Omnes igitur poteſtates, ſive patris in filium, ſive mariti in uxorem cæteraque, atque adeo quæ in animantibus, apibus, gruibus, piſcibus ſunt, à Deo ſunt ordinatæ.* Atque hoc docet Apoſtolus, uti iidem aiunt, *ut oſtendat Evangelium non docere defe-*

ctio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ctionem & rebellionem adverſus magiſtratus, ſed modeſtiam potius & obſequium. Autor commentariorum in Lucam: *Magnum & ſpirituale documentum eſt, quo Chriſtiani viri poteſtatibus ſublimioribus docentur eſſe ſubjecti, ne quis conſtitutionem regis terreni putet eſſe ſolvendam.* Chryſoſtomus addit, heic etiam monere Apoſtolum, *ne ſuſcipiantur ſupervacanea bella. Fama enim*, ait, *tunc communis erat quaſi ſeditioſi & rerum novarum cupidi Apoſtoli omnia ad evertendas leges communes agerent & dicerent.* Ac de *juſta poſtetate* Apoſtolum loqui manifeſtum. ſi enim omnem, quantumvis iniquam & conſceleratam potentiam à Deo eſſe diceret, & eo ſolo nomine quod potens eſt & quia à Deo eſt ei nos ſubjiceret, tam perduellium, ubi illi potentes ſunt, quam legitimorum principum cauſam ageret, & vera imperia magis everteret quam comprobaret, quod indignum eſt. *Regi ut ſupereminenti, præſidibus ut à re-*

rege miſſis parere nos jubet princeps Apoſtolus, ſatis indicans, nos in jus uniuſcujuſque ſpectare debere, obedire præfectis & præpoſitis dum ipſi ſunt in poteſtate regis, non ſi excutientes obedientiam bellum civile & partes faciant. Eadem ergo ratione regi nos parere jubet, tantum dum ipſe ſubjectus legibus, quibus eum mores & conſuetudo civitatis aut recta ratio ſubjicit. Tam enim ſacroſancta eſt legum quam regis poteſtas. immo in rep. bene conſtituta penes hanc, ut ſupra retulimus, ſumma poteſtas eſt, ſummumque & verè, diximus, imperium, *donum & inventum Deorum*, ut veteres aiunt, *tracta à numine ratio, imperans honeſta, prohibens contraria.* ut magis ſeditioſus & rebellis rex ſit qui in leges, quam præfectus qui in regem exſurgit & rebellat. Ideoque imperium, quod hic *divinam ordinationem* Paulus, *humanam ordinationem* Petrus appellat, eo nos modo numinum

ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſubjectos eſſe poteſtati volens quo illa ab hominibus ordinata & inſtituta eſt. nam ſi aliud vellet deberet utique nos monere ut ad unam denique formam omnia redigeremus. *At humana*, inquit noſter, *ordinatio eſt ordinatio in homines.* & divina, puto, ordinatio eſt lex in Deum data. Eſt tamen qui eum ſequatur. *non*, inquit, *humana dicitur ordinatio quod ſit juris humani, aut homines habeat autores, ſed quod ab hominibus & in homines exercetur.* Habere imperium Deum autorem non negamus. domeſtica enim imperia Deus & ipſa natura inſtituerunt, itaque & eam recte ordinationem divinam eſſe dicimus. libertatem etiam in Judæis inſtituit Deus. at regnum & quidem plenum, ſpeciem imperii non ſane optimam, inveniſſe & primum juſſiſſe Deum nemo unquam probabit, comprobaſſe fatemur. Sed quiſquis autor ſit: modus & ratio imperii, & jus tam regum quam civium in quaque civi-

tate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tate non à Deo ſed ab hominibus, hoc eſt cujuſque populi legibus, & ſi iis ſolutus ſit è voluntate petendum eſſe, nemo ſanus infitiari poteſt. Quî enim aliter diſtingui poſſint rerumpublicarum formæ? qui jura civitatum cuſtodiri? qui denique ipſi domini agnoſci, niſi ab hominum jure, quis dominus ſit, quis tuus diſcas? *Virga*, ait, *hominis dicitur, qua homines caſtigat Deus.* accipio ſimile. Adverſus virgam enim iſtam bellum, puta, aut aliud importantem malum quomodo gerere te debeas, à jure quod inter homines habes videbis. ita quoque in jure publico faciundum eſt tam neceſſario, ut qui ſecus ſentiunt officia vitæ confundant & pervertant omnia.

Ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν· οἱ δὲ ἀνθεστηκότες, ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται. *Qui poteſtati reſiſtunt (vim opponunt) Dei ordinationi reſiſtunt, qui vero reſiſtunt ſibi ipſis judicium accerſunt.)* Quæ clarius re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

vincunt, de illis Apoſtolum loqui qui cum Chriſtiana religione jus omne imperii ſublatum & ne bonis quidem principibus parendum cenſebant. quod enim ſupra *poteſtatem*, hic *Dei ordinationem*, ut videas eum de imperio ipſo loqui. Deinde eandem ſententiam adverſus eos pronuntiat quam Judas, qui ait, *Deum maxime eos in diem judicii puniendos reſervare qui dominationem contemnunt & in dignitates blaſphemant.* At qui imperiorum genera diſtinguit, qui ordinum & ſtatuum diſcrimina obſervat, qui aliud ſervis, aliud liberis jus eſſe putat, qui denique tyrannis reſiſtit, is neque reſiſtit neque reſiſti vult poteſtatibus ſed eas conſervat & cuſtodit, dum id agit ne legum ſacroſanctæ poteſtati à tyrannis reſiſtatur, & pro ordine ἀταξία in civitatem inducatur.

Οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν.) Vides iterum quid per poteſtatem in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

intelligit. nunc enim eos qui in poteſtate ſunt ἄρχοντες appellat, quod legitimi & moderati imperii nomen eſt. Idque ipſe interpretatur, cum negat recte agentibus & ſe in officio continentibus timori eſſe principes: ex quo ſequitur, non eſſe principes, nec in hoc poteſtatum nomen, cui nos ſubjicit, venire, qui malos extollunt, bonis terrori ſunt. Θέλεις μὴ φοβεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν; τὸ ἀγαθὸν ποίει. καὶ ἕξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς. Hic jam palam cives à ſervis diſtinguit Apoſtolus, & omne jus pœne, ut ante diximus, magiſtratus à crimine eſſe docet. non enim poteſtatem cives ſed peccata timere debere. Ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῇς, φοβοῦ. Duæ enim ſpecies timoris ſunt. Alter cum ratione & libertate (timor filialis) *innocentiæ cuſtodem* vocat Cyprianus, Plato φόβον μετὰ δίκης. Eſt enim affectus erga virtutem & juſtitiam. Plutarchus Ariſtide: δι' ὃ καὶ τριῶν ὄντων ἃ πεπόνθασιν οἱ πολλοὶ πρὸς τὸ θεῖον,

θεῖον, ζήλου καὶ φόβου καὶ τιμῆς, ζηλοῦν μὲν αὐτοὺς καὶ μακαρίζειν ἐοίκασι κατὰ τὸ ἄφθαρτον καὶ ἀΐδιον, ἐκπλήττεσθαι δὲ καὶ δεδιέναι, κατὰ τὸ κύριον καὶ δυνατὸν, ἀγαπᾷν δὲ καὶ τιμᾷν καὶ σέβεσθαι κατὰ τὴν δικαιοσύνην. *Cum tria ſint quibus affectum erga Deum vulgus eſt, quod eum beatum putet, timeat & honoret, beatum ducere videtur quia immortalis eſt, horrere & metuere ob vim & potentiam, diligere & honorare & venerari ob juſtitiam.* timor enim eſt ſed cum amore mixtus, ut qui non tam hominem quam crimen reſpiciat, reverentia potius quædam, quæ à vitiis deterrens & ad virtutem cum maximè incitans alienam libidinem non veretur. Marcus Cato Cenſorius *noſmet ipſos, quia nunquam ſine nobis ſumus, ne unquam peccemus, revereri nos* jubebat. In optima civitatis conſtitutione & maxime temperata ſic animatos eſſe decet cives. eſt enim æquum hoc, tum in publicum ſalubre. In Octavia Nero:

Decet timeri Cæſarem.

Reſpondet Seneca, *At plus diligi.* Polydorus quærenti,quid ita Spartani in bellis impigrè omnis generis pericula ſuſciperent: ὅτι αἰδεῖσθαι, inquit, τοὺς ἡγεμόνας ἔμαθον, οὐ φοβεῖσθαι· *quia revereri duces ſuos, non timere didicerunt.* Petrus: τὸν θεὸν φοβεῖσθε· τὸν βασιλέα τιμᾶτε. *Deum timete, at regem honorate:* ut natu majores & parentes Moyſes jubet. à quo non recedit dictum Imperatoris, *illos cives optimos ſibi videri qui Deum magis quam ſe timeant.* Altera timoris ſpecies ſervilis, qui eſt affectus erga infinitam aut immodicam poteſtatem, omnia timens tanquam noxius & omnia commeritus.

Hæc eſt menſura timoris
Velle putant, quodcunque poteſt.

Sic homo ſua natura erga Deum, ubi eum agnovit. humilitatis enim, mortalitatis & peccatorum ſuorum conſcientia ſtupet, contremiſcit nec ſatis compos mentis eſt. unde Salomon: *Timorem Domini principium ſa-*

pien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

pientiæ eſſe : quod qui Deum timeat ſe & Deum agnoſcere cœperit, nec aliter homo natura animari poſſit, niſi reſpexerit eum Deus, & de benignitate & clementia divina edoctus mente nova feratur & in ſpem conſcientia non jam ſua erigatur, & reverentia fiat qui fuit timor. Idem evenit homini geniis aut ſpectris occurrentibus, & feræ hominem conſpicienti. Sicuti enim oculi caligant ad ſolem verſi : ſic animus ubi ſe in illuſtre aliquod jubar fixerit, cujus naturam ut digniorem capere non poteſt, timoris vertigine corripitur, nec contra tueri ſatis potens eſt. unde illud Poëtæ natum videtur, *primum in orbe Deos timorem feciſſe.* Ariſtoteles Rhet. 2. cap. 5. καὶ οἱ δυνάμενοι ἀδικεῖν, ἀεὶ (ſcilicet φοβεροὶ) τοῖς δυναμένοις ἀδικεῖσθαι. ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ ἀδικοῦσιν οἱ ἄνθρωποι, ὅταν δύνωνται. *metuendi ſemper qui injuriam facere poſſunt iis qui poſſunt pati. Plerumque enim cum poſſunt homines aliis inju-*

riam faciunt. Hunc igitur timorem, qui modum in timendo excedit, timens tum quæ non ſunt timenda, tum plus quam timenda ſunt, ſervis ſemper Apoſtoli, nunquam liberis injungunt; quod illis omnia corpore luenda, nec reſiſtere unquam liceat: in pluribus etiam parendum ſit, quam liberis. Paulus ſpiritum ſervitutis εἰς φόβον eſſe ad Rom. VIII. Ad Epheſ. VI. Οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα μετὰ φόβου καὶ τρόμου, ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας ὑμῶν, ὡς τῷ Χριστῷ. *Servi obedite dominis juxta carnem cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ut Chriſto.* ubi Theophylactus: Ἐπὶ μὲν τῆς γυναικὸς ἁπλῶς εἶπεν, ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα. ἐνταῦθα δὲ μετ' ἐπιτάσεως, ὁ γὰρ τρόμος ἐπίτασις φόβου. ἡ μὲν γὰρ γυνὴ ὁμότιμος τῷ ἀνδρὶ καὶ ἐλευθέρα· οἱ δὲ δοῦλοι, οὐ τῆς αὐτῆς τιμῆς, εἰ καὶ ἀδελφοὶ κατὰ Χριστόν εἰσιν. *Uxores ſimpliciter ut virum vereantur* (id enim ibi ſignificat *timere*) *monet, hic vero cum exaggeratione; ex-*

aggeratio enim timoris tremor eſt. nam uxor libera & viro par, at ſervi neutiquam eadem conditione ſubjecti ſunt, quamvis fratres in Chriſto. Petrus: Οἱ οἰκέται ὑποτασσόμενοι ἐν παντὶ φόβῳ τοῖς δεσπόταις, οὐ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπιεικέσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς. *Servi ſubjecti eſtote dominis in omni timore, non ſolum bonis & modeſtis, ſed etiam pravis.* ut recte vertit Eraſmus. σκολιὸς enim idem quod *pravus* ſeu *diſtortus* Latinis: & utrumque per metaphoram ad animum transfertur. Servos igitur ſimpliciter cum timore & tremore non ſolum bonis ſed etiam pravis ſubjectos eſſe, quod nuſquam liberos, jubent. unde & Tertullianus: *Minus eos anxios eſſe debere, ne in Deum peccent, ubi domini juſſis parent, quam liberos. Etiam ſervis,* inquit, *plus permittit quam liberis circa idola, non ut ea colant, ſed ut dominis ſuis miniſtrent & ſimpliciter pareant. Jam nunc, qui de Joſepho & Daniele argumentaris, ſcito non ſemper*

comparanda eſſe vetera & nova, rudia & polita, cœpta & explicita, ſervilia & liberalia: nam illi etiam conditione ſervi erant. tu vero nullius ſervus, in quantum ſolius Chriſti, qui te etiam captivitate ſeculi liberavit, ex forma dominica agere debebis. At illa quæ ſequuntur apud Petrum ad omnes pertinent, ergo & hæc. ait enim: Τοῦτο γὰρ χάρις, εἰ διὰ συνείδεσιν Θεοῦ ὑποφέρει τις λύπας, πάσχων ἀδίκως. Ποῖον γὰρ κλέος, εἰ ἁμαρτάνοντες καὶ κολαφιζόμενοι ὑπομενεῖτε; ἀλλ᾽ εἰ ἀγαθοποιοῦντες καὶ πάσχοντες ὑπομενεῖτε, τοῦτο χάρις παρὰ Θεῷ. *hoc enim cedit gratiæ, ſi quis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtiam, injuſte afflictus. quæ enim gloria eſt ſi peccantes & colaphis cæſi ſubſiſtitis? at ſi rectè facientes male habeamini, cedit id vobis gratiæ.* Eſt hoc quidem omnibus in mandatis datum, multa pati, ſervis tamen aliud quam civibus. Quippe cum his omnia pati neceſſe, civibus aliquando infringi & temerari jura civitatis & li-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

libertatis ſinere officii ratio non permittat. Magiſtratibus etiam Chriſtianis multa ferenda ſunt iniqua, ut jus tamen magiſtratus evertatur permittendum non eſt: ſic nec civibus, ut jus ſuum atteratur. Quare & Paulus ſe virgis cædi & indefenſum condemnari non eſt paſſus: civis Romanus Cæſarem appellavit. Immo Petrus hoc ipſo in loco civibus mandat, ut regi & præſidibus ſubjecti ſint, ὡς ἐλεύθεροι, καὶ μὴ ὡς ἐπικάλυμμα ἔχοντες τῆς κακίας τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλ' ὡς δοῦλοι Θεοῦ. *ut liberi, non ut libertatem malitiæ prætexentes, ſed ut ſervi Dei.* Quæ & de libertate civili, non tantum de Chriſtiana quæ nos à cærimoniis legis veteris & ſervitute vitiorum liberat, accipienda eſſe multa revincunt. Apoſtolus enim hic de officio civium loquitur erga reges, non de Chriſtianæ reipublicæ civibus erga Chriſtum regem ſuum. ὑποτάγητε πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει· εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι,

εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις. ὡς ὑπερέχοντι, inquit. eo regum ſtatum & conditionem indicat, cui reſpondet hoc quod civium ſtatum: ὡς ἐλεύθεροι. Ariſtoteles ubi imperiorum genera diſtinguit: καὶ γὰρ γυναικὸς ἄρχειν καὶ τέκνων, ὡς ἐλευθέρων μὲν ἀμφοῖν, οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον τῆς ἀρχῆς, ἀλλὰ γυναικὸς μὲν πολιτικῶς, τέκνων δὲ βασιλικῶς. *Et uxori imperat & liberis, ut liberis quidem utriſque, non eadem verò imperii modo, ſed uxori quidem civiliter, liberis vero regaliter.* Deinde deſcribit hic in ſpecie officium civium & liberorum: mox de ſervis locuturus aliter. at libertas illa quam peperit nobis Chriſtus, hominum conditiones non diſtinguit, tam ſervorum quam liberorum eſt: Præterea libertatem Chriſtianam filios nos Dei facere, ait Paulus, quia tremorem illum, ingenium ſervitutis minuit, Deum nos parentis loco habere docens. Cyprianus: *Tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratiæ*

gratiæ ſpiritualis augetur. Libertati vero civili ſolent hoc, ne nos efferamus, adjicere Apoſtoli, quod hic addidit, *quod ſervi Dei ſumus.* I. ad Cor. VII. καὶ ὁ ἐλεύθερος κληθεὶς, δοῦλός ἐστι Χριστοῦ. ad Epheſ. VI. οἱ κύριοι τὰ αὐτὰ ποιεῖτε πρὸς αὐτοὺς (ſervos) ἀνιέντες τὴν ἀπειλήν· εἰδότες ὅτι καὶ ὑμῶν αὐτῶν ὁ κύριός ἐστιν ἐν οὐρανοῖς. non ait liberos eſſe Cæſaris aut regis ſui ſervos, ſed Dei, non eos Romæ ſed in cælo Dominum habere. Ac vix uſquam in novi fœderis libris, utique quando propriè Apoſtoli & ſuo ore loquuntur, τὸ κύριος regem aut principem, aut quod ei reſpondet τὸ δοῦλος ſubjectum & civem ſignificat. Lucæ c. XIX. verſ. XIV. & XV. palam diſtinguitur inter δούλους & πολίτας. opponuntur enim iſta inter ſe, nec eſt ſacris autoribus idem τὸ κύριος quod autoribus bene Græcis, ſed plane idem quod his δεσπότης, Latinis *dominus.* nam quod Maria hortulanum, Feſtus Cæſarem

κύριον appellat, aliena verba ſunt & è more communi deſumpta. Tam enim apud Hebræos quam apud Romanos illa ætate ignotos *dominos* ſalutare moris fuit: & Cæſarum priores quidem non paſſi ſunt ſe dominos appellari, ſequentes vulgo receperunt. Nec obſtat illud, quod pro civium ſervitute regiæ defenſionis ſcriptor adducit ex Luca: οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν. etiamſi enim concederetur, quod falſum eſt, agi hic de regum jure, facile tamen probarent cæteri Evangeliſtæ non propriè hic accipiendum eſſe *dominandi* vocabulum. Matthæus: οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Marcus: οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. *quibus placet imperare*, aut, *qui pro principibus habentur*, ſcripſerunt. At principum certe jus non eſt dominari, ne illorum quidem ſententia qui regum putant. Præterea opponitur ei τὸ δουλεύειν non ſua & propria ſignificatione: cum non

ſua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

ſuadeat Chriſtus eum qui inter Apoſtolos principatum affectat, ſe aliis vere in ſervitutem dicare, ſed modeſtia ſibi alios anteponere, virtutis ſtudio vincere, ſervire commodis & utilitatibus aliorum. quod & Paulus in mandatis dedit Galatis: διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. & de ſe teſtatur 1. ad Cor. IX. ἐλεύθερος γὰρ ὢν ἐκ πάντων, πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα. ut igitur hoc, ſic & illud ad quod refertur abit in aliam ſignificationem. & Lucas hic: ἀλλ᾽ ὁ μείζων ἐν ὑμῖν γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος· καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς ὁ διακονῶν. Matthæus opponit inter ſe δοῦλος & πρῶτος, μέγας & διάκονος cap. XX. verſ. XXVI. XXVII. Sed verum eſt, Dominum de jure regnantum heic non loqui, ſed de perverſæ ambitionis conſuetudine. Unde & Marcus: οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. (quod eſt, ut interpretatur Theophylactus, ἐξουσιαστικῶς καὶ τυραννικῶς προσφέρονται.) *poteſtate*, inquit, *tyrannice adverſus*

 po-

populum utuntur. Matrem enim Zebedæorum proximum à Chriſto locum filiis ſuis ambientem, non ferebant Apoſtoli, & in rixam ſtudio ambitionis delapſi de illo ſecundum regem principatu inter ſe diſceptabant. increpat errantes Jeſus: eſt illud ambitioſorum & honorum civilium ſtudioſorum, inquit, ingenium, nunquam acquieſcere, nunquam contentos eſſe, & quo plus honoris & juris adepti ſint eo plus concupiſcere. principes civitatum regie ſe gerunt, regno ſtudent. reges dominationem affectant & plane ſerva omnia volunt. ita imperium, quod cura alienorum commodorum eſſe deberet, ſolet cura peculii fieri, & in tyrannidem verti. Procul à vobis ſint tam fœdi & corrupti mores; pares vos eſſe decet. ſi quis tamen principatum affectat, contrariam inſiſtat viam, exſuperet audenti virtute alios, modeſtia cedat, & tanto ſe majorem ſciat quanto ſe gerit minorem. Theophylactus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

lactus: *Oſtendere Chriſtum, gentium eſſe rapere honores & dignitates ambire. Sciens*, inquit, *quam tyrannica ſit & quam digna reprehenſione ambitio, acriter eos perſtringit & in gentium numerum adſcribit, ſi inani gloriæ ſtudeant. Cæteri quidem*, inquit, *homines quia regnant clari ſunt, & amare primas gentilium affectus eſt: diſcipulos meos modeſtia commendat & honeſtos facit. qui cæteris major eſſe voluerit cæteris miniſtret.* Dominationem igitur à regno diſtinguunt, & plane quam ſolent cætera accuratius Apoſtoli: cum nuſquam ſubjectos ſervos, reges dominos appellent. Unde & Tertullianus: *Dicam plane imperatorem dominum, ſed more communi, ſed quando non cogor ut dominum Dei vice dicam. Cæterum liber ſum illi. Dominus enim meus unus eſt Deus omnipotens, æternus, idem qui & ipſius; & qui pater patriæ eſt quomodo dominus eſt?* Apoſtolus Paulus alibi jubet *Chriſtianos, ſi id contingat, in libertate potius quam in ſer-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

vitute vivere, vetat fieri ſervos hominum quia pretio acquiſiti ſunt à Chriſto. Quod profecto non faceret, ſi nihil inter ſervos & liberos intereſſet. In eo quidem ſervorum etiam libertatem auget Chriſtiana religio, quod Deo magis quam hominibus morem jubens gerere, in pluribus rebus quam ante jubet dominis non parere. In eo liberorum libertatem aut potius licentiam minuit, quod pietatis in patriam & publicæ utilitatis cauſa jus ſuum ſæpius fortaſſe vult remittere. Cæterum cum modum ſubjectionis certum liberis, ut vidimus, præſcribat, cum legitimis principibus dicto audientes eſſe, cum peccata non principes, aut propter peccata principes timere jubeat, cum reges à dominis, ſervos à liberis diſtinguat, cum denique commendet libertatem, jus profecto libertatis integrum & illibatum relinquit, nec nos dominorum libidini dicat. Quid enim ſolos dominis pra-

vis

vis cum timore ſubjectos eſſe ſervos debere docet? an civium oblita eſt, nec de eorum officio ſcripſit? imo quid palam iis aliam parendi rationem docet, ſi eadem utrorumque conditio eſt? Quid enim eſt quod magis ſervi timeant quam liberi, ſi his nihil amplius quam illis licet? ſi idem regibus in hos, quod dominis in illos licet? quid denique quo liberi à ſervis, quo reges à tyrannis diſtinguantur, ſi non iniqua imperantibus obviam iri, ſi denique non tyranni coërceri poſſunt? Sed ad Pauli cætera redeamus.

Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστί σοι εἰς τὸ ἀγαθόν. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.)* Quo profecto nequaquam ſine fine potentia deſignatur, ut nugatores eo probare ſeſe putant: Dei enim miniſtri *Apoſtoli*, *Evangeliſtæ*, *presbyteri*, & qui vocantur *diaconi* etiam ſunt, quorum jus ſuum modum habet. horum συνεργοὶ principes boni, qui homines ad virtutem præ-

miis

miis pœniſque propoſitis vocant. Theophylactus: καὶ ὅταν τὴν ἀρετὴν ἐπαινῇ, τὸ τοῦ Θεοῦ βούλημα πληροῖ· καὶ ὅταν τῇ μαχαίρᾳ χρῆται τοῦ Θεοῦ διάκονός ἐστιν ἐκδικῶν τὴν ἀρετὴν, καὶ τὴν κακίαν ἀπελαύνων. *Et cum virtutem laudat, Dei implet voluntatem, & cum gladio animadvertit, Dei miniſter eſt, vindicans virtutem, pellens vitium.* Plutarchus, *Principes Dei miniſtros eſſe,* πρὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν, ὅπως ὧν θεὸς δίδωσιν ἀνθρώποις καλῶν καὶ ἀγαθῶν τὰ μὲν νέμωσι τὰ δὲ φυλάττωσιν. *ad hominum tutelam & ſalutem, ut quod hominibus boni & pulchri à Deo datur, id diſtribuat & conſervet.* Plato *principes legum miniſtros* vocat, *idque negat facere cupiditate innovandi vocabula, ſed quod in eo ſalutem publicam credat verti. iſti enim civitati maturum exitium imminere, ubi principes legibus, non leges principibus dominentur. at huic in qua principes legum ſervi, lex principum domina ſit, omnia bona parata eſſe quæ Dî ſolent largiri.*

giri. Utique iſtum titulum, quo Dei miniſtri & vicarii principes non niſi virtute & juſtitia mereri Apoſtolus nos docet, cum ait, *bono hominum Dei miniſtros.* bonum autem publicum procurari ſine virtute non poteſt. Sic propter virtutem etiam ſeu juſtitiam *Deus* & *Dei imago* princeps, εἰκὼν Θεοῦ τοῦ πάντα κοσμοῦντος, ut ait idem Plutarchus. nulla enim re Deo ſimilior homo eſt & præſertim princeps. Etiamſi enim omnium virtutes Deum referant, præſertim tamen maximorum quorumque. quæ, uti Sol inter cætera ſidera eminet & omnia radiis ſuis illuminat, ſic nobis præcipue illum oſtendunt, qui ſupra omnes eſt, &

—— *Qui urbes regnaque triſtia.*
Divoſque mortaleſque turmas
Imperio regit unus æquo.

Propter hanc & judicia *Dei judicia,* ſolium *Dei ſolium* in ſacris dicuntur. Deuter. 1. *Quod juſtum eſt judicate; ſive civis ſit ſive peregrinus, nullum ſit*

diſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

diſcrimen perſonarum; ita humiles audite ut potentes, nec perſonam cujuſquam accipite: quia Dei judicium eſt. Plato ad illud Heſiodi de Minoë:

> Πλεῖςων ἤνασσε περικτιόνων ἀνθρώ-
> πων,
> Ζηνὸς ἔχων σκῆπτρον, τῷ καὶ πόλεων
> βασίλευε.

Sceptrum Jovis nihil aliud, ait, *appellari quam diſciplinam & leges Jovis, quibus ille Cretam continuit.* Nam pravis quidem regibus hæc nomina minime conveniunt, niſi eo ſenſu, quo & Diabolus & Pſeudoprophetæ & Antichriſti *Dei miniſtri*, dum pravos ulciſcuntur. peſſimo enim publico dominans & bonos premens diabolo ſimilior quam Deo, ejuſque miniſter & vicarius eſt. nam & ille *princeps ſeculi.* Tertullianus: *Et dæmonia ſunt magiſtratus ſeculi: hujus collegii inſignia faſces & purpuras geſtant.* Idem: *Omnes hujus ſeculi poteſtates & dignitates non ſolum alienas, verum & inimicas Dei eſſe, quod per illas ad-*

adverſus Dei ſervos ſupplicia conſultæ ſunt. Virtute igitur & boni publici curâ Dei miniſtri ſunt principes. his obedientes & ad omnia bona opera paratos nos eſſe vult Apoſtolus. nam quod aiunt, *bonis conducere ut malis exerceantur, & ceu igne aurum probentur:* id quidem verum eſt, ſed pro jure tyrannorum nihili & plane dignum ineptis ſophiſtis argumentum eſt. Prodeſt enim iiſdem à ſceleratiſſimis quibuſque & perduellibus affligi. Auguſtinus: *Quicquid divinitus ante ultimum judicium vindicatur, ſive per improbos ſive per juſtos, ſive per neſcientes ſive per ſcientes, ſive occultè ſive palam, non ad interitum hominum ſed ad medicinam valere credendum eſt: quam qui reſpuerit, extremo ſupplicio præparatur.* An ideo quiſquam tam vecors eſt, ut latronum & ſicariorum injuriam bonos cives juſto & pio duello defendere vetet? Iſta ratione etiam bonis principibus nedum tyrannis injungant licet, ut

ce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cedentes impietati ſeditioſorum & rebellium, ſibi regnum extorqueri patiantur, quia utile eſt, & ad ſalutem ſempiternam per patientiam injuriæ felicius tendunt. Et iſte nugator, ut probare ſibi hæc videatur quæ effutiit, ex Auguſtino adverſus Manichæos adducit locum, quo ait, *injuſtum non eſſe, ut improbis accipientibus poteſtatem, bonorum patientia probetur & malorum iniquitas puniatur.* cum per poteſtatem diabolo datam & Jobus probatus ſit ut juſtus appareret. Inde ſcilicet effici poteſt, non licere improbo regi reſiſtere: Diabolo enim nos dicto audientes eſſe oportet. Quis hæc poteſt audire? quis poteſt pati? ut verbo rem dicam: hoc agunt iſtæ ſententiæ, ne in rebus adverſis cum calamitatibus conflictantes, ut ſolebant pagani, quaſi ſuo jure, *non eſſe Deum, nullam terras diſpicere providentiam, rapi omnia cæco caſu* conteſtemur, aut per impatientiam convitium Deo faciamus,

mus, tanquam nobis minus ab eo benigne fiat. ſed in omni fortuna ſi non eundem vultum, at eundem animum ſervantes Deo gratias agamus. Non autem humana ope uti & malis remedia admovere nos prohibent.

Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. *quare neceßitate ſubjecti estote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Neceſſario, inquit, in poteſtate principum nos oportet eſſe, non tantum ad juſtam pœnam evitandam (dicimur enim & illa facere neceſſario quæ ad ſupplicium & præſens malum vitandum facimus) ſed etiam ob Dei placitum, qui ordinem parendi & imperandi ut autor naturæ & doctor juris naturalis conſtituit & confirmavit: quando res humanæ ſine eo ſubſiſtere non poſſunt. Dion: φύσει τε ἀναγκαῖα τινὰ καὶ σωτήρια, τῷ μὲν ἄρχειν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, τῷ δὲ ἄρχεσθαι τέτακται. καὶ ἀδύνατόν ἐστιν ἄνευ αὐτῶν καὶ ὁτιοῦν καὶ ἐφ

ὁπο-

ὁποσοῦν διαγενέσθαι. *Duo neceſſaria & ſalutaria inter homines natura inſtituit, regere & regi: ſine quibus nihil ſubſiſtere poteſt.* Cic. de Leg. III. *Nihil tam aptum ad jus conditionemque naturæ, quam imperium. ſine quo nec domus ulla nec civitas nec gens nec ipſe mundus poteſt ſubſiſtere: nam & hic Deo paret.* De imperio igitur ipſo ut in præcedentibus & de legitimo principe loquitur. nam tyrannus hunc ordinem convellit; ut tum reipublicæ tum noſtri cauſa ſæpe imponat neceſſitatem ſui coërcendi, aut injuſtitiæ ſuæ reſiſtendi. Cicero pro Milone: *Non eſt unquam defenſio contra vim optanda, ſed nonnunquam neceſſaria.* In Verrina: *Uti cives aliquando neceſſario perfugio ſeditionis.* Seneca: *Pleroſque tyrannos modo ſinguli mactaverunt, modo univerſi, cum illos dolor publicus conferre in unum iras coëgiſſet.* Atque ea neceſſitas non tantum honeſtam rem jubet, ſed etiam ſi quid humanitus acciderit excuſat. eſt enim ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

gnum imbecillitatis humanæ patrocinium, omnem legem frangit & quicquid cogit excuſat.

Ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς· τῷ τὸν φόρον τὸν φόρον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος· τῷ τὸν φόβον, τὸν φόβον· τῷ τὴν τιμὴν τὴν τιμήν. Non ait omnia unicuique, nec imperantibus, ſed *quod debetis: cui jus eſt tributorum & vectigalium, vectigalia & tributa ſolvite; cui timor debetur,* ut dominis à ſervis, *timorem: cui honor debetur*, ut regibus & præfectis, *honos habeatur.* Sic & Chriſtus reſpondit Judæorum inſidioſæ quæſtioni: *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, Deo quæ ſunt Dei.* non, ait, *reddite Cæſari*, quodcunque ei libuerit, ſed *quæ Cæſaris ſunt.* alioquin, *quid eſſet Dei*, ut ait Tertullianus, *ſi Cæſaris omnia?* Quæ profecto præcepta omnia tam moderata, tam juſta & legitima ſunt, adeoque nihil tyrannis in ſubjectos juris tribuunt, ut mirum ſit iſtos impotentiæ cauſidicos novæ legis ullam mentionem facere

au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

auſos: cum in profanis autoribus & illis quidem ipſis, qui tyrannicidium juſſerunt, ſummoque honore & laude dignum æſtimaverunt, mille ſententiæ reperiantur, quæ pro ſimplici obſequio & tyrannidis patientia longe magis facere putes. *Æquum & iniquum regis imperium feras. Boni principes voto expetendi, qualeſcunque tolerandi*: Pythagoræ eſt: *Tali in civitate opus eſſe poteſtate cui nequaquam liceat reluctari.* Quod ſi ne illa quidem, quæ tam acerba, iniqua & ſervilia videntur, ſanè intellecta & iiſdem autoribus interpretibus ſuperbæ dominationi favent; quanto minus hæ ſacrorum autorum ſententiæ, quæ non niſi legitimis imperiis ne in ſpeciem quidem nos ſubjiciunt. At enim Chriſtus Petrum in juſtiſſima reſiſtendi cauſa gladio uti vetuit, addita gravi ſententia: Πάντες οἱ λαβόντες μάχαιραν ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται. Imò ipſe unum poſt homines natos injuſtiſſimum ſupplicium ſub-

iit. Quaſi à myſterio crucis civium jus trahendum ſit. Sed & plane ſanctiſſimæ & divinæ Chriſti vitæ iſthæc patientia conveniebat. noſtri enim cauſa non tantum homo natus, ſed etiam ut viliſſimæ conditionis homo & ſervus nullo humano jure uſus eſt, omnium utilitatibus inſerviit, nihil ipſe rei habuit, denique tanquam vile caput crucem ſervilem pœnam ſubire & infelicem arborem ſanctiſſima morte conſecrare non dedignatus eſt. Idque etiam ideo neceſſarium fuit, quia ſe regem profitebatur, quia ſe ſibi in doctrinam tradentibus libertatem pollicebatur, quia popularis erat, quæ omnia Judæi de terreno regno & libertate, ſuum regem ſuæque libertatis vindicem fore Meſſiam ex fatis ſperantes, interpretabantur; ut doceret omnes cœleſte eſſe regnum ſuum, ſpiritualem libertatem, & palam oſtenderet ſe quam longiſſime à crimine cujus inſimulatus & deinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

damnatus fuit perduellionis abeſſe. Eſt quidem ille omnibus inſigne patientiæ quam imitentur documentum; ſed peculiari quodam modo illis, qui, ceu exules rerum humanarum, nihil cum hoc mundo contrahunt, Numinis toti: præcipue, inquam, Apoſtolis & doctoribus, quos ut potiſſimos regni ſui adminiſtros eandem vitæ ſectam, idem inſtitutum ſequi voluit. Non enim Dominus noſter, ut virtutem ſuam ſic omnia ſua omnibus imperavit, non ſtatuum, dignitatum, jurium diſcrimina de re humana ſuſtulit. Quare Petrum Apoſtolum vana ſpe inflatum humaniſque turgentem animis (Matt. XVI. XXIII.) & imperia & magiſtratus adhuc ſomniantem, minime autem myſterium crucis vitæque ſuæ ſtatum & conditionem intelligentem meritò increpat, reconditoque in vaginam gladio ſolo patientiæ ſcuto uti juſſit: ut doceret eum non ad imperium ſed ad ſacerdo-

do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

dotium, non ad pugnandum ſed ad docendum electum eſſe. ut jam non dicam, Petrum humana ope indigere Chriſtum credidiſſe: Chriſtum eum tantum reponere in vaginam gladium juſſiſſe, non ut perduellem & læſæ majeſtatis reum puniendum poteſtati tradidiſſe, ſed verbis tantum caſtigaſſe. Nam dictum quod attinet: verbum eſt Hebræum, (quibus crebro, ut ad populum hominesque de plebe inſtruendos apprime utilibus, Dominus utebatur) non abſimile illi: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Quod recte intellectum & ad rem præſentem aptatum, nihil aliud innuit quam eum, qui contra jus & præter vitæ ſuæ ſtatum arma rapiat, mereri ut armis cadat. deinde & plerumque fieri: id enim eſt in civilibus ejuſmodi ſententiis πᾶς. ut Matt. VII. VIII. πᾶς ὁ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει· & eodem c. verſ. XIX. πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλε-

βάλλεται. id eſt æquum eſt & plerumque fit. Matt. XII. XXV. πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, ἐρημοῦται· καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, οὐ σταθήσεται. Cum igitur hoc velit Chriſtus, ut Apoſtoli & qui eorum ſectam ſequerentur, non armis & vi humana rem gererent, nihil mirum foret, ſi etiam ſimplex quædam obedientia exacta eſſet, qualem illi veteres Chriſtiani præſtitere; nihil utique mirum, Chriſtianos illos omnia potius perpeſſos quam ut armis ſe tuerentur. Erant enim graviſſimæ ea tempeſtate cauſæ cur iis abſtinerent, & ne tyrannis quidem reſiſterent. Non jam dicam maximam partem ex nationibus fuiſſe à Romanis bello ſubactis, in quas tamen imperatores plerique nullam propriam tyrannidem exercuere; & ſi exercuiſſent, jus tamen iis nullum fuit principem dejiciendi quem Roma tolerabat. Omittam etiam Chriſtianos eâ ætate non popu-
lum,

lum, non ullam eminentem in populo partem feciſſe, *non ſapientia, non nobilitate generis illuſtres*, ut teſtatur Paulus, ſed humilis tenuiſque conditionis fuiſſe. Quod etiam à Juliano objectum iis ea tempeſtate, qua jam ſancta religio per orbem propagata & Imperatores ſuos habuerat, *ſervos, ancillas, obſtetrices, nutrices, & id genus homines populum Chriſtianum eſſe.* Hæc etiamſi fecerint ut minus juris iis fuerit, tamen omittemus. Magnæ verò cauſæ fuerunt, etiamſi jus fuiſſe ſtatuas, cur eo tempore armis abſtinerent, & de jure ſuo decederent. quæ non diſſimulant Apoſtoli, ſed fere addunt, ideo eos movere vetantes, *ut tranquillam & quietam vitam agere poßint in omni ſanctitate & pietate.* Novas enim religiones & ſacrorum ritus introducebant, quæ plerumque turbare ſolent ſummam rempublicam. avidum enim plus ſatis rerum novarum ingenium humanum, excuſſis ſemel patriis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

conſuetiſque opinionibus novandi plerumque modum neſcit; ſed velut frenis remotis exſilit, & in omnem ſe projicit licentiam. Et quid ſanctum magnumque habeat, ubi rem divinam & ſacrorum ritus, qui omnibus ſacroſancti ſunt, impios judicat & profanos? Aut quid putet illicitum, quid non ſibi permittat, cum honeſta & pia religionis præſcriptione contra leges peccare didicit? nonne omnia divina & humana conculcans, quicquid in ſe quicquid in alios admiſerit facinoris, Deo imputet? utinam heic nobis ſeculorum memoria aut Poëtarum fabulæ eſſent replicandæ, & non hæc oculis noſtris & experientia diſceremus. Deteſtamur nos quidem merito, poſt Platonem, temeritatem & impietatem Poëtarum veterum, qui inceſtus, duplicatas laſciviæ ergo noctes, bella & odia iniqua cæleſtium narrant, & ſceleribus ſupra humana Deos autores inſcribunt: Deos tamen,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

men, quos ſibi finxerant, ut fabula dignos in ſcenam producerent. At nos qui hæc deteſtamur Chriſtiani, qui iiſdem circa ſacra legibus utimur, qui idem numen adoramus, qui pacem & amorem hominum ſummam religionem eſſe credimus, ex quo circa ritus & cæremonias & opiniones quaſdam diſſidere, & quæ pro religionibus ſacrorum habebantur diſceptare cœpimus, alteri in alterorum capita execrati ſic in capitalia odia & inexpiabilia bella exarſimus, quaſi tum demum divini eſſemus, cum hominem ſenſumque omnem humanitatis exuiſſemus, aut quaſi nos quoque non unum ſanctumque Numen, ſed turbam Deorum tumultuantem & bellantem coleremus & ſimili vitæ ratione imitaremur. Colliſa enim inter ſe capita reipublicæ Chriſtianæ, armis jam olim caſtriſque res geſta, ſacra & profana contrita omnia, magnis viribus, majoribus odiis, ut quæ jam multis in lo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

cis vaſtitas Europæ bellorum finem fecit, nondum animorum bella & diſcordias compoſuerit. Quod ſi minuta hæc circa eadem ſacra diſſidia, difficileſque ex parte & ſcholaſticæ tricæ *tantum malorum ſuadere* potuerunt, quas non tragœdias excitaſſent illa ſacra, quæ omnibus receptis omnino contraria, abrogando totas religiones, omnes, qui vulgo Dei habebantur, cælo & regnis ſuis detrudebant? Noſtri doctores, neque vitæ puritate illis reſpondent, neque miraculis ſunt conſpicui, ſunt tamen qui horum auſpiciis tanta audeant. Apoſtoli eorumque proximi ſucceſſores, cum verbo pellerent inſanabiles morbos, malos genios fugarent, linguis quas non didicerant loquerentur, & tot aliis miraculis doctrinam obſignarent ſuam,& ipſa adeo ſanctitas pietaſque eorum miraculo eſſet, quos non ſpiritus, quos non animos addidiſſent, quid non juſſiſſe viderentur, ſi non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

non omni re humana & abſtinuiſſent ipſi, & abſtinere ſuos juſſiſſent? Neque enim defuerunt unquam. Theudæ & Gaulonitæ, qui mentito religionis nomine etiam mediocriter bonos ad turbas traherent. Et ſunt in religione Chriſtiana quibus abuti poſſent, & conabantur ſeditioſi & licentioſi homines. *Libertas Chriſtiana*; quam pravi omnia imperia evertere interpretabantur, boni etiam, ut & inter gentiles Stoici, ejus nomine traducti *ſeditioſi & contumaces*, ut videtur, audiebant. *Regnum Chriſti ejuſque tum in cælo, tum in terra poteſtas ſumma*, quæ à Judæis lubentibus animis de imperio terreno accipiebatur. inſederatque adeo omnium animis, Chriſtum fore vindicem publicæ libertatis & *profectum Judæâ terrarum imperio potiturum*, ut Chriſtus dum quidem in terris ageret ne ab Apoſtolis quidem ſuis id deducere potuerit. Quos & ſimiles errores ut eriperent Apoſtoli, toties incul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

caſſe exactam illam obedientiam primis Chriſtianis veteres teſtantur. Jam accedebat altera cauſa, Chriſtiana religio ob novitatem inviſa & ſuſpecta, & varie traducebatur. ferebantur Chriſtiani in cœtibus ſuis promiſcuis & inceſtis congreſſibus uti, occidere pueros infantes, inire Thyeſtea convivia, potare ſanguinem humanum; ea denique flagitiorum & ſcelerum privatorum religione initiari, à quibus facile ad publica tranſitur. γόητας Celſus, Ulpianus *exorciſantes Chriſtianos impoſtores*, alii *atheos* vocabant. quæ iis, præter iniquitatem temere judicantium & impiorum hominum, tum accidiſſe videntur, quod auguſtiora & interiora quædam myſteria non temere enuntiarent; tum quod appoſita eſſet nocturnis ſacris ſuſpicio, nec quiſquam crederetur contra leges peccare niſi ut flagitioſa perpetraret. Nam quum vetitum eſſet lege XII. Tabularum, *ne quis Deos novos & adve-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

venas niſi publice adſcitos coleret, & *ne quis cœtus nocturnos agitaret; collegia quoque illicita & clandeſtinæ coitiones* multis ſæpe edictis coërcitæ eſſent: Chriſtiani in ſolis antelucanis ſuis cœtibus trium legum violatarum rei videbantur. Fecit & quod Cæſarum ſolemnia celebrare, divinos Cæſaribus honores habere recuſarent, ut majeſtatis rei haberentur. Vere enim iis accidit, quod prædixerat Dominus, καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου. Matt. x. xxii. Et Paulus teſtatur. Hiſque & ſimilibus de cauſis *Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum, Deorum, imperatorum*, (ſunt Tertulliani) *legum, morum, naturæ totius inimicum habebant.* Neque enim ſoli principes & præfecti Chriſtianos odio habebant, ſed totus populus nationeſque & civitates: quod à circo, theatro, feſtis, & publica lætitia averſi, moribus diverſis non tantum religionibus ſibi impietatem exprobrare viderentur. Ideo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

& *hoſtes generis humani* dicti; & cum cætera innocentes, tamen *humanæ gentis odio*, ut dixit Tacitus, *convicti*: & omnes iis publicæ calamitates imputabantur. Tertullianus: *Si Tiberis adſcendit ad mœnia, ſi Nilus non adſcendit in arva, ſi cælum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim*, CHRISTIANOS AD LEONEM, *clamatur*. Quare ſi arma illis ſumenda, non cum principibus, ſed cum genere humano bellandum, genus humanum petendum & occidendum erat. At non eſt hominis probi, ne quidem inter gentiles, jus ſuum pertinaciter tueri, ſi id ſine reipublicæ clade retineri non poteſt, nedum ſi id ne magna quidem clade poteſt retineri. Sed fac, potuiſſe. Amolienda erat invidia & calumnia nominis Chriſtiani, oſtendenda terrarum orbi ſanctiſſima ſecta, & hominibus approbanda; ne merito pœnas dare & leges patrias ſcelerum cauſa conculcare viderentur. Neque vero ideo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Imperatores præſideſque tyranni habiti, quia Chriſtianos ſuppliciis coërcerent: patrias leges cuſtodiebant & veram religionem impugnando veras ſe tueri & Dîs gratum facere opinabantur. Chriſtiani vero nulla humana lege ſubnixi, imo tenebris errorum & ſuperſtitionum terræ orbem denſiſſimâ nube obſidentibus, contra omnes leges, contra gentium plurimarum conſenſum, vera ſacra verumque Deum populis inferebant, Deo acceptiſſimi, hominibus noxii & extrema commeriti. Quanquam enim humanas leges cedere divinis æquum eſſet, Chriſtianorum tamen erat eas non alia ratione promulgare & perferre quam juſſerat Deus: qui voluit, non ope & vi humana ſed Numine niti ſacra ſua, & per ea creſcere per quæ ſuperſtitiones extinguerentur; nec opes, honores, luxum, quæque alia vulgus prima ducit, ſed ea propoſuit præmia, propter quæ iſta atque adeo vita ipſa vilis eſſent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Itaque non eos, ut prophetarum quoſdam, juſſit principibus, ſi minus dicto audientes eſſent, abrogare imperium; non jus imperii aut vis inferendæ dedit, ſed Euangelium prædicandi; non armis ſed doctrina, non vi ſed, ut decuit pro Dei cauſa, rationibus ſed miraculis pugnare, nec alieno ſed ſuo ſanguine Chriſti imperium propagare, & hoſtes ſuos non ſævitia ſed patientia exſuperare voluit. Lactantius: *Defendenda eſt religio non occidendo ſed moriendo; non ſævitia ſed patientia; non ſcelere ſed fide. illa enim malorum ſunt, hæc bonorum: & neceſſe eſt bonum in religione verſari non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis; jam non defendetur illa ſed polluetur atque violabitur. nihil enim eſt tam voluntarium quam religio.* Quod cum reſpicerent veteres Chriſtiani, & ſe tanquam Apoſtolos omnes & ſacerdotes regnum Dei debere propagare, merito in pleriſque

jus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

jus ſuum dimiſere & contenti numine humana neglexere. Neque tantum à magiſtratibus, ſed etiam à populo, à turba, à pravis inlatas injurias concoquebant ſæpius quam defendebant. vim ſanè raro admodum vi refutabant. Tertullianus: *Nullum bonum ſub exceptione perſonarum adminiſtramus, quia nobis præſtamus, qui non ab homine aut laudis aut præmii expenſum captamus; ſed à Deo exactore & remuneratore indifferentis benignitatis. Iidem ſumus imperatoribus, qui & vicinis noſtris: male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex æquo vetamur. Quodcunque non licet in imperatorem, id nec in quenquam; quod in neminem, id forſitan magis nec in ipſum qui per Deum tantus eſt.* Paulo poſt: *Quoties in Chriſtianos deſævitis, partim animis propriis, partim legibus obſequentes, quoties etiam præteritis vobis, ſuo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus & incendiis & bacchanalium furiis?* Honoribus

noribus etiam paratis abſtinebant, *nec civitatem*, ut ait idem Afer, *affectabant*, *ſed contumelias propter Chriſtum ſummis honoribus æſtimantes*, *nihil tam alienum ducebant quam res publicas*: *unde & inutiles & infructuoſi audiebant.* Imo & dubitabant num in licitis eſſet gerere magiſtratum. Idem *de idololatria* ita demum Chriſtiano permittit magiſtratui præeſſe, *ſi neque judicet de capite alicujus vel pudore*; *feras enim*, inquit, *de pecunia*: *neque damnet neque prædamnet*, *neminem vinciat*, *neminem recludat aut torqueat*; *ſi hæc credibile eſt fieri poſſe.* Eadem ratione plerique, ſanctiores utique, bella detrectabant: ſoli cui ſacramento dixerant Deo militare, ſola pietate laureas & coronas nunquam perituras mereri geſtientes. Quid quod fuga ſalutem petere quidam timuêre. offerre ſe potius pœnis, & ut brevi detrimento tot annorum quot recipit hominis ætas, illum & ſuum diem repræſentarent, veram

vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

vitam & omnium ſæculorum ævum conſequerentur, optare martyria, & condemnati exſultare judicibuſque pene gratias agere. Etenim aliud erat, impiis illis perditiſque temporibus bonum Chriſtianum, aliud bonum civem eſſe. nec benè conveniebant reſpublica & religio. tum quo illi virtutis ardore ferebantur, permiſſa tantum & licita vetita interpretabantur, & ignari adhuc diſtinguere à conſiliis præcepta, de ſe exigebant, quicquid ſumma virtus poſtulat. Quæ ſane excelſorum & exaggeratorum virtute animorum ſunt. non tamen in omni vitæ ratione omnibus nec ſemper conveniunt. Illo forſitan tempore, quo ſumma reſpublica penes gentes erat, neminis non aut certe plurium erant, & communi Chriſtianorum vitæ inſtituto optimè congruebant. Alia res eſt, ex quo moribus recepta religio Chriſtiana, non jam divini tantum regni ſed etiam humani potiſſima lex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

eſt. Jam reges, principes, magiſtratus, jam boni cives eam non tantum, ut Chriſtiani, ſed etiam ut cives pro virili parte tueri tenentur; totiſque jam civitatibus Chriſtianis, non poſſunt immo non debent omnes inter ſacella & aras ætatem conſumere; ſiquidem ulla debet reſpublica ſubſiſtere, opus eſt magiſtratu, milite, cive & cæteris vitæ generibus ut ne cujuſcunque hoſtis præda evadamus. Et cum pauci ea virtutis indole ſint, ut omnia in Deo habeant propitio, poſtulat plurimorum & infirmiorum ſalus, ut ad humana auxilia confugiamus, & quos ſua pietas & ſanctitas non ſatis adverſus hoſtium tam domeſticorum quam externorum vim & impotentiam tutatur, imperium & pia arma, ſine quibus nullum eſt in pravos imperium, tueantur & cuſtodiant. Ac hanc eſſe Dei voluntatem imperia confirmata & comprobata ſatis oſtendunt; & quidem imperiorum diverſa genera.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Non enim unum aliquod genus confirmavit: non omnia dominis addixit, cæteras veraſque civitatum formas repudiavit. Sed primum omnes ea vitæ conditione, quam *ratio dederit aut ſors objecerit*, contentos vivere: deinde quibus integrum eſt inſtituendæ ſibi reipublicæ, liberam facultatem dedit; niſi quod optima ſemper quantum poteſt ſequi juſſit, libertatem autem non obſcurè ut optimam commendavit. Auguſtinus: *Contigit tibi ut Chriſtianus efficereris, non ideo Chriſtianus factus es, ut dedigneris ſervire. cum enim Chriſto jubente ſervis, homini non ſervis ſed illi qui juſsit.* & ſubjicit: *quod dixi de domino & ſervo, hoc intelligito de poteſtatibus & regibus.* Non quaſi dominorum & poteſtatum, ſervorum & liberorum idem jus ſit, ut iſti perverſi interpretes volunt, ſed nec hos nec illos vitæ ſtatum mutare nomen Chriſto dantes, & utroſque Chriſto præſtare legitimum obſequium quod præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

præſtant iis in quorum poteſtate ſunt. Quod ſi licet magiſtratum gerere homini Chriſtiano, jam illa omnia quæ iſti objiciunt nihil admodum probant. Si comprobata eſt juſta poteſtas, comprobata & juſta quædam rebellio. Abſurda dicere videmur. vera dicimus. Etenim jus omne magiſtratus à conſenſu & pacto civium originem habet, aut certe, quod nemo ſanus negare poteſt, petendum eſt, ut ſcias quod cuique jus ſit, quæ poteſtas, quod civium, quod magiſtratuum officium. Potuere ipſi cives de ſumma republica judicium ſibi retinere, potuere in alium transferre, potuere partem ſibi reſervare, potuêre libertatem. Quantum autem tranſcripſerint alii, quantum ſibi retinuerint aliunde quam ex legibus, moribus, & conſuetudinibus populorum peti non poteſt. Si libertatem non tantum permiſit, ſed etiam, ſi optio detur, Deus Chriſtianis commendat, jus utique quo il-

lam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

lam conſiſtere ante probavimus, non ſuſtulit. indignum enim eſt, ludere nos inani verborum ſono illum qui fallere neſcit. Atqui jus tam libertatis quam imperii jus belli adverſus nefarios homines & manifeſta flagitia habet. Ergo munus boni Chriſtiani & boni civis, jus ſuum quidem tueri, dimittere tamen potius quam excedere terminos juris. hæc ſumma ratio & ſapientia boni civis (ut & profani homines ſenſerunt) *omnibus conſulere. Nihil*, inquit Auguſtinus, *cogitet juſtus, niſi ut bellum ſuſcipiat cui fas eſt; non enim fas eſt omnibus.* nam non ſervis conditione, non ſacerdotibus & rerum humanarum negligentiam profeſſis fas eſt bellare; ne civibus quidem niſi in manifeſto ſcelere licet reſiſtere. Quare illis temporibus, quum jam terrarum orbem occupaverat magiſtratuſque & imperia ſancta religio, Theologi plus civibus adverſus rerum potientes licuiſſe recte ſenſere. Licebat enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

tum civium officio fungi: & male eos increpat defenſor quaſi degeneres & à pietate patrum ſuorum diverſos, cum in eo nihil erraverint. Quanquam facta quædam eorum non admodum probaverim aut improbaverim. Chriſtiani tamen milites Conſtantem ſuſtuliſſe, Conſtantio ſuperſtite Julianum imperatorem renunciaſſe feruntur. Quidam etiam à Chriſtiano milite Julianum interfectum volunt. Hæc & ſimilia inferioris ævi quæ multa adduci poſſent nos omittamus, ſatis habentes, Chriſtianam religionem non ad ſervitutem omnia redegiſſe: ſed ſuum magiſtratibus, ſuum liberis civibuſque jus reliquiſſe: ſed & libertatem imprimis commendaſſe. Quapropter deſinant aliquando viles venaleſque animæ bonæ cauſæ Deum opponere, & libertati noſtrorum ſacrorum religiones objicere. Deſinant tam indigne de iis ſacris ſentire; quæ toties nobis commendant, toties projicere

vetant

vetant libertatem, quaſi doceant unam ſerviendi commentationem. Deſinant denique illa ex tyrannorum ſacrariis producta arcana tanquam oracula & monitus Dei in vulgus ferre. Satis habeant turpia mancipia eſſe dominis obnoxios: Chriſtum ne faciant ſervitutis inſtrumentum. Nam ſi ipſorum flagitia & infirmitas dominum poſtulant, quærant ſibi illum, nemo vetat, ſerviant ſervis non tantum dominis, ſubeant jugum, & illam quam tam miſerè veram cupiunt doctrinam, miſerius experiantur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43

Errata.

PAg.12. v. 19. *pro* verò *lege* verè. *p*.26. v.
lege ὀπιςάτης , τῶν. *p*. 27. v.11. *pro* pa
lege parte. *p*.28.v.16.pro item *lege* idem
39. v.12. *lege*, non, puto, negabis. *p*.46.v.18.
ge, teneret. Summus. *p*.53. v.8. *lege*, omittan
iſtos. quando primum. *p*.66. v.12. terræ. *p*.
v. 20. appellantur. Eadem. v. 24. βασιλ
p.107. v.2. ſuam. *p*.111. v.22. ſuperſtitio. *p*.1
v.7. pateris. *p*.208. v.8. *pro* palma, palam. *p*.2
v.21. querendique. *p*.217. v.1. quas. *p*.249.
c.VIII. *p*.252. v.20. iniquus. *p*.262. *v.ult.*
regem prodere. *p*.274. מִשְׁפַּת Miſphat. *p*.2

v. 21. *pro* IX, XI. *p*.295. v.18. βασιλεῖ. *p*. 3
v.4. quo. *p*.323. v.22. κατεξουσιάζουσιν. *p*. 3
v.23. deſpicere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 E 43